contre façon des
bois de Bernard
Salomon

8-9-56

[illegible]

METAMORPHOSES OVIDII, ARGVMENTIS

quidem soluta oratione, Enarrationibus autem & Allegoriis Elegiaco versu accuratissimè expositæ, summaq; diligentia ac studio illustratæ, per

M. IOAN. SPRENGIVM AVGVSTAN.

Vnà cum artifioiosis picturis præcipuas historias aptè repræsentantibus.

IN ME MORS,



IN ME VITA.

PARISIIS,

Apud Hieronymum de Marnef, & viduam Gulielmi Cauellat, sub Pelicano, monte D. Hilarij.

1583.



AD ILLVSTRIS-SIMOS AVSTRIAE ARchiduces, Rudolphum, & Ernestum, Sereniss. Romanorum ac Bohemiæ Regis Maximiliani, &c. filios.



Vanquam vniuersa Philosophia, quæ nõ solùm laudatarũ artium omnium procreatrix, & naturæ rerumq; occultarum indagatrix, verumetiam magistra virtutum & honestarum actionũ, à doctissimis quibusque rectè nũcupatur, plurimum vtilitatis humano generi cõfert: nulla tamen pars fructuosior, & maioris emolumẽti videtur esse, quàm ea ipsa, quæ de officiis & moribus hominũ disserit, vnde salutifera bene, constanter, honestéque viuẽdi præcepta proficiscuntur. Cùm autẽ eiusmodi documenta, quæ virtutes & vitæ disciplinã in se cõtinẽt, tã ex Poëtis, quã Oratoribus, hauriri queãt, vtrosque ab iis, qui ad aliquem eruditionis gradum contẽdũt, & actiones suas ad integritatis perfectæq; mentis regulã conformare laborant, euoluendos, accuratéque intelligẽdos, esse cẽseo: Nam Poëtæ quoque suis figmentis non rarò nos, abdita quadam ratione, ad iter virtutis ingrediendum, & viã perdi-

tionis deferendã, propositis mirabiliũ casuum exẽplis inuitant, sicut & Ouidius in sua Metamorphosi (præter continuam, quam inde à mundi origine ad sua vsque tempora persequitur historiã, & occultã naturæ scientiam) singularem Dei in pios & moderatos fauorem ac beneuolentiam, horribilem contrà in malitiosos, obstinatos & insolentes iram designat, & sub aspectum nostrum, viuis veluti picturis, subiicit, vt hac ratione nos ab omni turpitudine & iniquitate auocet, & ad vitam probè, feliciterque transigendam perducat.

Quemadmodum verò omnes ingenuos ac liberales animos tam salutaris, & frugiferæ decet cognitio: ita imprimis maximus honor & ornamentum est, nobili, & generosa stirpe procreatos liberos, ac præsertim eos, qui longa & perpetua propemodũ serie maiorum, & veluti cognatione quadam, ad imperij gubernacula nati esse vidẽtur, hisce vtilissimis Philosophiæ præceptionibus, à teneris, vt aiunt, vnguiculis imbui atque informari, vtpote quæ ad fœlicem Rerumpublicarum administrationem plurimũ ponderis & momenti afferre iudicantur.

Quocirca illustrissimi Heroes, cùm opusculũ hoc, in quo vna veluti fasce omnes Ouidianæ μεταμορφώσεις, res humanas illustri quadã imagine depingentes, comprehenduntur, in lucẽ diutino multorum desiderio, tãdem edatur, operæprecium me facturũ, aut saltẽ industriæ, ac laboris mei fructus nõ omninò perditurum existimaui, si hasce meas, licet tenues

ac pueriles,lucubrationes,támque illustri loco natis Heroibus indignas (vt à multis sine dubio censebitur) V. Celsitudinibus consecrarem.

Neque verò propter hāc causam illud facio, quòd vel eos, qui apud V. Celsitudines assiduè morantur, officio suo negligentius fungi, vel vosmet ingenuè ac liberaliter educatos, salutaribus preceptis et monitionibus indigere suspicer: Haud enim me latet, Serenissimum Romanorū ac Boëmiæ Regem Maximilianum, parentē vestrum, omni genere doctrinæ, vt cæteras virtutes taceam, excultissimum, & literatorum hominum amantissimum, vestris Celsitudinibus præceptorem, D. Ioannem Tonnerum, I. V. Doctorem, sacræ Caes. Maiestatis consiliarium, quem debiti honoris & obseruantiæ causa nomino, talem ac tantum virum præfecisse, qui nullum studium, nullam industriam, nullum laborem, nullum denique certamen in vobis, ad optima philosophiæ præcepta, institutáque erudiendis prætermittit. Satis etiam mihi constat vos ea tum ingenij bonitate, tum excellentia naturæ esse præditos, vt vestra spōte ad rectum & laudabile sitis propensi, ab eo autem quod cum honestate pugnat alienum prorsus geratis animum, atque in omnibus salutaria, fidelissimi vestri Præceptoris, & aliorum rectè consulentium monita, sequi maximopere cupiatis.

Proinde vobis opusculum hoc leuidēse, non tā ob bene viuendi, quæ in eo continetur, rationem & disciplinā, quàm studij mei erga Celsitudinem vestrā

humiliter declarandi gratia, dono, dedico, nuncupo, vosq; qui longè præstantiori munere digni estis, maiorem in modum summisseq; precor & obtestor, vt laborem hunc meum, tenuem & exiguum, hilari fronte suscipere, & potius animum voluntatémque donantis, quàm ipsum opusculum considerare dignemini. Quod si à vestra Celsitudine impetrauero, vósque hoc qualecunque sit, benigna mente, sicuti confido, amplexari animaduertero, ad alia fortasse maiora, studium, fauor, & beneuolentia vestra me excitabunt. Nunc ego, Generosissimi Heroes, me vestræ Celsitudini humiliter commendo, Deúmque ardenti animo precor, vt vos, cum vniuersa vestra illustrissima familia, diutissimè saluos & incolumes conseruet. Valete. Datæ Heidelbergæ vigesimo secundo Februarij, Anno, 1563.

V. C.
addictiss.

Iohannes Sprengius, Augustanus.





IOANNES SPRENGIVS

Augustanus, candido Lectori.

INTER cætera beneficia, candide Lector, quæ diuinitus humano generi, gratia & amore quodam singulari tributa sunt, historiarum conseruationem, quibus rerum gestarum monumenta & exempla vetustatis ordine continentur, posteriore loco minimè habendam esse, omnium doctorum sanáque mente præditorum hominum iudicio patet: Quàm preciosus enim thesaurus sit cognitio temporum, quæ principia & progressiones rerum, propagationem diuini cultus, originem superstitionum, admirandam Ecclesiæ gubernationem, seriem, & mutationem imperiorum, inuentionem disciplinarum, naturæ prodigia, & alia scitu dignissima, ex tenebrosis quasi latebris, in apertam lucem profert, & ante oculos manifestè ponit, tam stupidum esse neminem existimo, quin idipsum vel me tacēte, multis rationibus intelligat. Proinde laudem mereri amplissimam nō solum videntur ij, qui in contexendis historiis aliquid operæ ac studij posuerunt, verumetiam hodierno die conatus illorum haud omninò

despiciendos & improbandos arbitror, qui se metipsos in hoc pulcherrimo & vtilissimo exercitationis genere, vel propagandi, vel illustrandi eius causa, sedulos pręstant, & ad id industriam suam, omnémque ingenij vim alacri animo conuertunt.

Sicut autem Historiographi tum Græci, tum Latini, à quibus res gestæ, memoratu dignæ, cognitúque necessariæ, soluta oratione, recto, concinno, & distincto ordine posteris sunt proditæ, & ab obliuione vindicatæ, meritis encomiis celebrantur: ita Poëtis etiam, qui in suo genere idipsum præstiterunt, debita laus nequaquam præripienda est. Cùm igitur & Ouidius generalem totius mundi historiam in opere suo, περὶ τῆς μεταμορφώσεων ad Cæsaris Augusti tempora vsque, miro quodam & singulari artificio, ingeniíque solertia conscripserit, non inanem hactenus nauasse operam eos credendum est, qui vel ad cognoscendum vel ad explicandum, tam præclarum autorem, diligentiam & laborem suum contulerunt. Nam insigniores & selectiores veterum Poëtarum omnium fabulæ (quarum ex ipsa rei veritate origo dependet) in hoc poëmate, tanquam vno quodam fasciculo continentur: adeò, vt totius vitæ humanæ illustre quasi speculum videatur, è quo memorabilia, cùm beneuolentiæ, tum irę diuinę

exempla, & insuper etiam gubernationis Dei mutationis rerum humanarum, leuitatis fortunæ, & totius mortalium conditionis, perspicuæ quædam imagines elucent. Neque vt multi opinantur, opus hoc pro nihilo, aut inani figmento putandum est, quod præter historiarum exempla, quæ ad virtutis decus exprimendum nobis sunt proposita, plenam vniuersæ Philosophiæ cognitionem ex ipsis quasi tenebris eruit atque patefacit. Nam & Physicis & Mathematicis, & regionum, locorum, vrbium, montium, fluminum descriptionibus adeò est refertum, vt si quis fidelem habeat interpretem, vel ipse omnia diligentius indagare conetur, tam in Geographię quàm Astronomiæ scientia, rebúsque naturæ occultis, exinde plurimum proficere queat.

Idcircò, cùm quidam boni & honesti viri à me vehementer aliquoties contenderint, vt ad collustrandum Poëma hoc, meam quoque operam & laborem impenderem, & singulas Metamorphoseon fabulas primùm soluta oratione, deinde versibus, vnà cum Allegoriis seu doctrinis moralibus, summatim cõplecterer, huic honestæ petitioni, quamuis impar in ceruices meas onus impositũ, méque rei tam arduæ vix sufficere sentirem, temerè refragari non potui, sed hoc quicquid est, aggressus, tantum in eo laboraui, quantum & inge-

nij mei tenuitas, & temporis angustia & ipsius materiæ, rerúmque aliarum occasio tulit: Quo autem pacto & ordine omnia à me sint confecta (vt eò melius se Lector ex toto libello expedire queat) paucis declarabo.

Primùm, ordo ac distributio fabularum, secundum libelli cuiusdam Belgica lingua editi, picturas & imagines est constituta: Etsi autem ratio collocandi commodior iniri à nobis forsan potuisset (plurimæ enim μεταμορφώσεις aptissimè cohærentes, à se diuulsæ, & in duas, tres, seu plures fabulas distinctæ, paucæ etiam, quæ meritò debebant inseri, prorsus omissæ sunt) tamen propter eos, qui hoc munus principio mihi delegarunt, & imagines omnes non exiguis sumptibus prius exsculpi curauerunt, memorati libelli ordinem potius sequi, quàm nouam figurarum dispositionem instituere visum est.

Deinde cuilibet fabulæ seu μεταμορφώσει Argumentum, data opera, tenui ac simplici orationis filo (vt à quouis puero mediocriter in literis progresso intelligi possit) contextum præfigitur, cui breuis enarratio versibus Elegiacis, ad Ouidianum, quoad eius fieri potuit exemplar, efficta, subiungitur: nam iisdem & verbis & phrasibus plerunque vti, quam compositionem nouam, & ab Ouidiani carminis facilitate alienam comminisci, tu-

tius atque consultius existimaui. Ad extremum narrationem Allegoria, seu doctrina, quæ vel ad formãdos mores, & vitam bene felicitérque agendam conducit, vel humanæ conditionis miseriam, & rerum mortalium breuitatem ante oculos proponit, subsequitur.

Non equidem me præterit, multa Physica, multa Astronomica, & alia secretiora, sub inuolucris harum fabularum esse abscondita: verùm de industria omnium ferè μεταμορφώσεων interpretationem, ad doctrinam de vita & moribus humanis, quæ virtutum ac vitiorum exemplis abundant, retuli: nonnullas tamen fabulas, quæ vel ad sacrarum literarum historias aliquo modo propius accedere, & propemodum alludere, vel ex professo iis repugnare, ac superstitiones Ethnicas stabilire, falsisque Deorum cultibus patrocinari, videntur, à vanis gentilium figmentis & mendaciis ad Christianam veritatem, quæ ex Apostolicis & Propheticis hauritur testimoniis, reuocaui: & per Analogiam ac similitudinem quod homo pius ex Ethnicorum actionibus, documentum capere, quatenus illorum ritus imitari, quid denique omninò sequi, quid fugere ipsum deceat, ostendi.

Sunt autem in primis obseruandæ transfigurationes hominum in pecudes, in feras, in arbores, in fluuios, in saxa, & in res alias ani-

ma priuatas, quibus conditiones & proprietates mortalium luculenter exprimuntur: Nam omnes qui à virtutis tramite ad viam flagitiorum delabuntur, se fœdis labidinibus polluunt, perniciosis indulgent voluptatibus, aut aliis vitiorum pestibus laborant, donec in hoc turpissimo & miserrimo vitæ statu perseuerant, neque ad sanitatem per gratiam Christi, & morum emendationem reuertuntur: eos, inquam omnes, quia non humanam, sed beluinam vitam transigunt, certum est coram Deo re vera nihil aliud esse quàm bestias de sanitate mentis deturbatas, nihil aliud quàm truncos & stipites, quàm cautes & scopulos, quorum cor adeò stupefactum, induratum, & callo quasi obductum est, vt nullis neque minis, neque precibus, neque mandatis, neque commonefactionibus diuinis ad obedientiam flectantur, dum petulanter aures suas ad omnes frugiferos & salutares Dei monitus & præceptiones occludunt & in suis perire delictis potius, quàm ad meliorem vitæ frugem redire, concupiscunt.

Hæc & alia plura, si quis accuratam de iis suscipiat cogitationem, in fabulis Ouidianis in profundo quasi abstrusa & abdita latere animaduertet. Hoc igitur modo legendi sunt tàm Poëtæ quàm Historici, vt ipsa lectio non solùm ad suauitatem & delectationem inde

percipiendám, sed ad virtutes potius exprimendas atque imitandas, & ad turpitudinem procul abiiciendam referatur: velut enim Musica, quæ tantùm aures inani strepitu ac tinnitu demulcet, nec ad componendam animæ harmoniam aliquid momenti confert, voluptatem habet ἄλογον omnísque rationis & vtilitatis expertem, dátque (vt Poëtæ verbis vtar) sine mente sonum: Sic omnis historiarũ, quamuis splendida & copiosa noticia, sine cõformatione morum ac directione vitæ ad certas exemplorum imagines, scientia tantum vana est, & parum conducibilis.

Quamobrem fructus ex historiis & fabulis capiendus hic est præcipuus, vt & intelligẽtiam & cognitionem earum rerum, quę ad gloriam & immortalitatem nobis prodesse videntur augeamus, & omnes nostras actiones ad nomen Dei propagandum, & virtutis æternum decus adipiscendum, tanquam ad vnicam metam, certissimámque salutis normam dirigamus: Sic fiet, vt vicissitudinem, inconstantiámque rerum humanarum perpendentes in aduersis placidi ac tolerantes, in secundis moderati, in repentinis casibus fortes, in affluentia & abundantia benefici, in paupertate sorte nostra contenti, in morbis & aliis difficultatibus animosi, in omni denique vitæ nostræ statu, intra mediocritatis limites, quos vltra citraque ne-

quit consistere rectum, constituti maneamus. Ad hæc & eiusmodi, nimirum ad imposturas Sathanę, quibus incautos circumuenit, ad pugnam rationis & affectuum, qua viri sæpe fortissimi grauiter luctantur, ad horribilia denique scelera, in quibus maxima pars hominum, tanquam in cęno, volutatur, Allegoriæ nostræ, quæ sub finem cuilibet enarrationi sunt affixę, respiciunt, de quibus omnibus candido lecto suum facere iudicium liberam concedimus facultatem.

Vnum adhuc restat, quod meminisse hoc loco volumus, nimirum in hac fabularum dispositione, directum historiarum ordinem, seriémque temporis concinnam, non semper obseruari: Ea enim quæ prius gesta sunt, sæpe posteriori, & quæ post acciderunt priori loco, more Poëtico & ordine, quem autores illi pro arbitrio suo constituunt, recensentur. Hoc ideò significare volui, ne quis fabulas hasce temeraria & præpostera quadam ratione coaceruatas existimet: Propria enim arte, & peculiari modo Poëtæ per narrationes videlicet, suis figmentis inserunt historias, id quod ex Homero, Vergilio, & aliis Poëtis, ad quorum imitationem noster quoque suam Metamorphosin effinxit, manifestè deprehensum apparet. Si quis autem perpetuitatem & continuationem historiarum perfectam desiderat,

is integrum Nasonis opus diligēt: reuoluat, ibi præter apparatū oratoriū, præter insignia verborum, ac figurarum lumina, mirificam, & maximè artificiosam connexionem fabularum, animaduertet.

Hæc Præfationis loco in medium afferenda duxi, quæ pro æquitate sua Lector candidus bonam in partem accipiet, & de omnibus sincerè iudicabit: si quid præterea in hoc opusculo mendosum, aut minus elaboratum, perpolitumque inuenerit, illud ipsum partim angustiæ temporis, à qua interclusus, partim certo carminum numero, ad quem astrictus fui, ascribet. Longissimas enim historias, latéque patentes interdum, in paucos versiculos redigere coactus sum, hinc obscuritatem euitare prorsus, vt voluntas mea tulit, non potui: Si quid tamen in enarratione carminum Lectori defuerit, præcedens argumentum diligentius inspiciat, & ex amborum collatione genuinum sine dubio sensum, citra vllam difficultatem, eliciet: Nam studiose operam dedi, vt quod in altero breuitatis causa mihi omittendum fuit, in altero compensaretur. Ea quoque in re posthac curam ponemus assiduam vt Enchiridion hoc magna cupiditate, à multis bonis & doctis hactenus expectatum, & nunc in gratiam omnium eorum, qui literis & rerum veterum monumentis dele-

ctantur, confectum, auctius & emendatius aliquando in apertum proferatur, ne quid in labore nostro iure desiderari queat. Interim hos qualescunque conatus, Lectorem benignum, æqui bonique vt faciat, maiorem in modum obtestamur.

Vale.



PVB. OVIDII METAMORPHOSEOS LIBER I.

Elementorum distributio. I.



CHaos (vt opinatur Hesiodus) fuit ante creationem mundi promiscua rerũ confusio, quæ postea in suas species distincta & distributa est Quocirca leuissimum corporũ æther igneus, & hunc infrà aer frigidus, omniáque sidera, mundi sublimiorem sibi partẽ vendicarunt, per quæ Solis splendor ac lumen celeste vagatur: Grauissimum autem terra videlicet & aqua, in parte omnium infima collocantur.

ENARRATIO.

ANte globum cœli, terras campósq; liquentes,
Vnica naturæ forma, rudisq; fuit.
Nempe Chaos, tum pŏdus iners, tum massa tenebris
Obruta, nec propriis associata locis.
Hinc elementa diu confusio mœsta premebat,
Hinc nitida tetrum luce vacabat onus.
Ignis, humus, tellus permiscebantur & aer,
(Fertilis vnde fluit rebus origo suis)
Hunc ergò rigidum tandem dissoluit aceruum,
(Pulchro disponens ordine cuncta) Deus:
A cœlo terram seclusit, ab aëre Pontum,
Certis naturam legibus ire iubens.

VERA INTERPRETATIO.

Hæc priscis olim sententia fixa Poëtis,
De mundi prima conditione fuit:
Haud dubiè patribus quondam clarissima fulsit,
Cognitio summi (qui regit astra) Dei.
Hanc quoq; posteritas ceu primis hausit ab annis,
Hinc ad gentiles fama superstes abit.
Vera sed effictis quia sunt vicina, peractis
Aspergi rebus fabula sæpe solet.
Nosse cupis verum, sacros euolue Libellos,
Qui de præteritis te meliora docent.
Bis tribus absoluit Genitor miracla diebus,
Quæ vel adhuc hodie lumina nostra vident.
Condidit ex nihilo per inenarrabile VERBUM
Omnia per quod idem cuncta creata fouet.

Animantibus habitandi locus assignatur. II.



DIstinctis iam, & à se disclusis Elemẽtis, cuilibet Regioni tam superiori, quã inferiori, certa & peculiaria tribuuntur animãtia: pòst etiã homo veluti terrę futurus cultor, ac Dominus, procreatur: Prometheus enim Iapeti filius, terram imbri molliuit, & ex hac hominem ad Dei similitudinem & imaginem finxit, cuius facies non prona, vt cęterorum animalium, in terram spectat, sed semper in cœlum erecta tollitur.

ENARRATIO.

Post vbi discreuit Deus omnia limite certo,
Mox æther vario sidere clarus erat,
Squamigerum pecus incipiunt habitare sub vndis,
Et liquidum velox aëra tranat auis,
Picta feras tellus, ac cætera bruta receptat,
Postmodò terrestri corpore prodit homo:
Hunc satus Iapeto fertur formasse Prometheus,
Qui tibi cælesti denotat arce Deum.
Hic quia de limo finxit terraq; palustri,
Humanum certa cum ratione genus,
Cretus homo fragili primus de puluere surgit,
Nos cuius soboles, posteritasq; sumus.
Mens immortalis datur huic, & sancta voluntas,
Os sublime frequens cernat vt astra Poli.
In terras oculos animalia bruta retorquent,
Vt saltem venter pabula crassa voret:
Nos Deus erectos ad sidera tollere vultus
Præcipit, vt cæli pectora tangat amor.
Vt propriam stabili patriam feruore petamus,
Non datur hîc certos incoluisse lares.

ALLEGORIA.

Verus homo semper sublimia mente volutat,
Supremas reputans nocte diéq; domos:
Carnalis contrà tutam sibi figere sedem
Appetit in fluxis (stultus inopsq;) bonis.
Quisquis es, æternam semper præpone salutem
Rebus, quas aufert hora suprema necis.

Aetas aurea. III.



ACcepta iam luce, Mundus quasi in ætates & secula quædam distribuitur, quibus pro variis morum qualitatibus, nomina sunt imposita, videlicet Aureum, argēteum, æneum, & ferreum. Sicut enim hæc inter se metalla maximè discrepant, & aliud alio preciosius habetur, ita etiam istę quatuor ætates longo à se interuallo remotæ sunt. Aureum verò dictum est seculum, in quo regnante Saturno, rerum omnium plena fuit tranquillitas.

ENARRATIO.

ORdine nũc quadruplex hominũ depingitur ætas,
Vnde status mundi, vitáq; tota patet.
Secula de rutilis nomen traxêre metallis,
Semper enim præstat posteriore prius.
Scilicet argentum fuluo superatur ab auro,
Neç precio constant ambo metalla pari.
Sic æri ferrum cedit rubigine tectum,
Tantundem propria nec bonitate valet.
Tẽporis haud aliter quadruplex distinguitur ætas,
Prima sibi summum vendicat apta locum
Aurea, ceu reliquas inter dignißima, splendet,
Qua coluit Mundum fœdera sancta Dei:
Et læta vitam duxit sine lege pudicam,
(Tranquillæ placido pacis amore fruens.)
Absque metu populum pietásque fidésque regebat,
Cursum iustitiæ conficiebat homo.
Mox tamen in peius cœperunt cuncta relabi,
Pristina nec probitas mansit (vt antè) diu.

ALLEGORIA.

Ista tibi forsan Daniel quoq; secula vates
Promit, dum prudens somnia mira refert.
Viderat effigiem quia rex Babylonicus, auro
Cui nitido totum fulsit vbique caput.
Argento pectus, venter post ære micauit,
Debilior ferri sed pede nixa stetit.
Sic omnes mortale genus decrescit in horas,
Heu pulsant nostras fata suprema fores.

Aetas argentea. IIII.



SEculo ex auro migrante in argentum, grauiora incumbere mortalibus cœpêre. Ver,prius continuum,in quartam anni partē contrahitur, cui deinde ęstas, autumnus & hyems ſuccedunt. Ab hominibus ſpeluncę, & ex arborum atque corticū congerie habitacula extructa,incoluntur,terráque iam negante fruges mortalibus per ſe creſcentes, duris agriculturę laboribus alimenta comparantur.

ENARRATIO.

Post vbi regna vago Saturnus in orbe reliquit,
Totus & inuicto sub Ioue mundus erat,
Altera iam subiit signis peioribus ætas,
Tempora quæ secum deteriora tulit,
Sed toleranda tamen: iam Ver contractius extat,
Mobilis & partes quatuor annus habet,
(Quem flexo veteres olim serpente notârunt,
Nam velut in se se circulus ipse meat.)
Lubrica iam vicibus succedunt tempora certis,
Pars quæuis propria conditione redit,
Ver, æstas, autumnus, hyems, discrimina reddunt,
Hinc homines vitæ cura labórq; premunt.
In siluis quærunt habitacula cortice iuncta,
Frondibus arboreis hos casa parua capit.
Et quia iam fruges tellus haud sponte ferebat,
Scinditur obtuso vomere durus ager.
Pinguia pòst fractis mandantur semina glebis,
Hinc solet agricolæ certa redire seges.

ALLEGORIA.

Dicitur hoc æuum præsens, argentea proles,
Ætas præcellit quam bonitate prior,
Assyrios veluti non exæquare Monarchas
Persica laudato regna decore queunt,
Argento nitidum solido quæ pectus adumbrat,
Ceu tibi diuina voce Propheta canit:
Sic res humanas fati decreta gubernant,
Et nil perpetuum secula nostra vident.

Aeneum & ferreum ſeculum. V.



TErtium ſeculum æneum argento durius erat quo homines à pace & concordia remoti in prælia & res bellicas propēdebant. Pòſt quartum id eſt ferreum ſeculum erupit, quod habendi cupiditate, liuoréque adeò laborat, vt non ſine periculo capitis etiam ſe mari committeret: imò ad tantam rabiem progrederetur, vt ob teterrimam auariciæ peſtem, alij alios, ferina quadam crudelitate, è medio tollerent.

ENARRATIO.

Tertia nunc sequitur soboles, quæ nomē ab ære
Obtinet, & dictis est probitate minor.
Sæuior ingenio, bellis assueta gerendis,
Extimulat flagrans pectora Martis amor.
Hinc ad conflictus, & horrida promptior arma,
Crimine seposito, nascitur acer homo.
Cui pòst succedit, quæ, ferrea dicitur, ætas,
Inuehit hæc secum protinus omne nephas,
Aufugiunt pietas, virtus, rectíque decorum,
Mox subeunt fraudes, vis, scelus, ardor opum.
Hîc dubio primum credens se nauita ponto,
Intrepidæ fallax tentat adire fretum.
Condita mortales rimantur viscera terræ,
Et promunt auri vasta talenta grauis.
Aspera sanguinei surgunt hinc prælia Martis,
Exoritur cædes inter vbique viros.
Vtq; suprema sequar paucis vestigia rerum,
Ius iacet extinctum, vis truculenta viget.

ALLEGORIA.

Æneus hæc venter tibi secula bina retexit,
Et quæ Fatidicus, ferrea crura, notat.
In nos hæc eadem recidit miserabilis ætas,
Exulat in mundo pax, & amica fides.
Exulat hoc pietas, & amor fraternus, in æuo
Et summum retinent fraúsq; dolúsque locum.
Belláque terribiles miniitantur atrocia clades,
Præcurrunt magnum talia signa diem.

Gigantomachia. VI.



GIgantes, vt Poëtę fabulantur, immensę molis homines, & similes matri filios, terra produxit, quorum magnitudine par exarsit audacia: nam extructis in excelsum aggerem montibus, sacrilegas manus ipsis cęlestibus afferre conabantur, sed fulmine deturbati genus impium profuso sanguine generârunt: Cruor enim ipsorum terrę permistus homines procreauit, haud longè ab origine discrepantes.


ENARRATIO.

Terra creat rigidos immani mole Gigantes,
Queîs mens in superas stat penetrare domos.
Congestos glomerant ad splendida sidera montes,
Et cupiunt propria sede mouere Iouem.
At pater omnipotens illos deturbat acuto
Fulmine, quod tactu corpora dira necat.
Immaduit fuso natorum sanguine tellus,
Atq; cruor sobolem procreat inde parem.
Contemptrix superûm prodit scelerata propago,
Et quæ sanguineas fert violenta manus.

ALLEGORIA.

Fabula de vero forsan primordia duxit:
Temporibus priscis nanq; Gigantes erant.
Dissimili multum geniti de stirpe parentum,
Quæ proles valdè nequitiosa fuit:
Pòst alij plures cœptis audacibus altæ
Immensam molem turris ad astra struunt,
Linguarum sed opus confusio mixta resoluit,
Et labor in ventos irritus omnis abit:
Sic Deus infestos hodierna luce tyrannos,
Quíque gerunt fastu turgida colla, premit,
Vilia præsentis qui temnunt munia sortis,
Viribus at propriis scandere celsa petunt.
Euecti cælo, miseranda morte ruinam
(Ad Ditis pulsi tartara cæca) trahunt.
Haud virtute sua quisquam conscendit Olympum,
Profluit à Christi munere tantus honor.

Concilium Deorum. VII.



IVpiter horrendi ſceleris, quo ſe mortalium genus polluebat, impatiens, querimonia ad Deos relata, de totius terrarum orbis deſtructione, conſilium capit: Nam ex Giganteo ſanguine naſcebatur, ſacrilega mente progenies, quod Lycaonis teſtatur exemplum, qui factis ſuis atrocibus Iouem in ſe iratum, imprimis accenderat.

ENARRATIO.

PErfida Progenies de sanguine nata Gigantũ,
Cum strueret capiti damna futura suo.
Flagitiisque Deum iustas raptaret ad iras,
Iamq; modum supra glisceret omne scelus.
Iuppiter exurgens, horrenda Lycaonis ausa
Voluit & indigno crimina corde putat.
Conciliúmque vocans ad magni tecta Tonantis,
Regalémque Deos congregat ipse domum.
Detegit hisce suos arcano in pectore motus,
Accusans hominum turpe feroxq; genus:
Illorúmque nimis crudelia gesta recludens,
Autumat hos pœnas commeruisse graues.
Per mœstas igitur iurat, stygiasq; paludes,
Se mox supplicio plectere velle malos.
Cuncta tamen tentanda prius medicamina censet,
Annuit alma cohors, consiliúmque probat.

ALLEGORIA.

Sic hodie quoties tumidos flagrante Tyrannos,
Igne Deus pellit Ditis ad vsq; lacus.
Nascitur illorum similis de semine proles,
Turpia committit quæ malefacta Patrum.
Obseruans eadem certo vestigia gressu,
Nec metuens iusti signa tremenda Dei.
Inde nequit meritas soboles deflectere pœnas,
Vltio vibrati fulminis instar adest.
Dum peruersus homo securamente superbit,
Præ foribus lethi fata sinistra cubant.

Lycaon in Lupum. VIII.



LYcaon Arcadię Tyrannus, cùm aduenas & hoſpites trucidaret, Iuppiter ſimulata hominis ſpecie ad eius Regiam accedit, cui tanquam mortali necem Tyrannus pręparāſ, humana prius membra deuoranda, velut hoſpitali quadam humanitate, proponit. Quod cum Iuppiter ſentiret: eum non penitus interemit, ſed in Lupi formam conuertit, qui & mores in rabie, & nomen Lycaonis in appellatione rętinebat.

ENARRATIO.

Rex erat Arcadiæ rabidus feritate Lycaon,
Hospitibúsque necis dira pericla struens.
Illius ingreditur (mortalis imagine) tectum
Iuppiter, ad Diui plurima signa ferens:
Huic parat extemplò crudelia fata Tyrannus,
Antè tamen mensis accubuisse, iubet.
Móxque Ioui tostas carnes proponit eorum,
Arcadis atroci qui cecidêre manu.
Hîc Deus indignans, rapidis domicilia flammis
Perdidit, inde fuga Rex citò terga dedit.
Euasitq; lupus, pecorum tunc sanguine gaudens,
Netáque præteriti signa furoris habens.

ALLEGORIA.

Exprimit hic homines rabiosa mente, Lycaon,
Terribiles vincunt qui feritate lupos,
Quos inhiare iuuat (scelerata fraude) rapinis,
Qui neque se spoliis exaturare queunt.
Pauperis extremo multi corradere damno,
Incipiunt auida fauce potenter opes,
Et sic alterius denudant viscera: tandem
Sollennes epulas instituisse parant,
Templorúmque suis cumulant altaria donis,
Cernit at illorum corda maligna Deus.
His furibunda manet quoniam natura luporum,
Insidias ouibus nocte diéque struunt,
Inq; greges pecudum sitientia guttura pandunt,
Heu quot adhuc tellus nutrit iniqua Lupos?

Diluuium IX.



HAbita deliberatione Iouis in Concilio Deorum, quónam ſupplicio humanum genus delendum eſſet, tandem propter audaciam Lycaonis, cæterorúmque mortalium deploratam nequitiam, qui horrendis ſuis ſceleribus etiam Deorum potentiam tentabant, vniuerſum orbem terrarum pro fuſis imbribus inundauit, adeò vt opertis diluuio montibus omnis humana caro, (duobus tantum exceptis) interiret.

ENARRATIO.

VT Mortale genus scelerum caligine mersum,
Ingreditur cæcum perditionis iter.
Nec pœnis adeò, monitis neque flectitur vllis:
Supplicium reprobos exitiale manet.
Fixa Iouis mens hæc (quem non sententia vertit)
Perdere diluuio cuncta creata stetit,
Qui citus exequitur decreta latentia corde,
Ac toto pluuias æthere fundit aquas.
Ex alto manant quasi grandia flumina cœlo,
Miscetur'q; feri nigra procella Maris.
Vndarum terras gurges rapidißimus opplet,
Cælantur turres: omnia pontus habet.
Hîc homines pereunt, volucres, animantia, nulli
Parcitur, vndarum copia cuncta rapit.

ALLEGORIA.

Historiam pandunt tibi sacra volumina certam,
Quam noster ficto more Poëta canit:
Nam genus humanum largis extinguitur vndis
Ac totum miserè fluctibus omne perit.
Sicque suæ pœnas fert impietatis acerbas,
(Prodit enim tandem vindicis ira Dei.)
Noë tamen solum casus euadere tantos,
Illiúsque domus, tanta pericla, queunt.
Sic in peccatis submersus corruit orbis,
Sordibus inq; suis occidit ægra caro:
Solus at è tumidis emergit fluctibus ille,
Qui Christum pura mente fidéque colit.

Finis Diluuiis X.



CVm vniuersum genus humanum per aquas diluuii iam deletum & extinctum esset, cymbula Deucalionis (cuius Pater Prometheus erat) vnà cùm Pyrrha Epimethei filia & coniuge sua charissima (qui soli è cunctis mortalibus superererant) in Parnasso monte Bœotiæ altissimo, ad nubes vsque penetrante, consedit.

ENARRATIO.

Horrida tempestas homines vbi texerat atris
  Imbribus, & plenus flumine mūdus erat:
Iámque domos, vrbes, lucos, montésque superbos,
  Turgida funesto merserat vnda lacu:
Deucalion fida superest cum̄ coniuge solus,
  Tranans incolumis fata seuera freti:
Parnassum (cœlos tangit qui culmine) montem
  Illius extemplo cymbula curua petit.
Hîc appellit homo, cultor probitatis, & æqui,
  Cum consorte thori, numina sacra vocans.
Iam quoq; paulatim cernit subsidere fluctus,
  Iam surgunt colles, & mare littus habet.

ALLEGORIA.

Deucalion tibi Noë pium designat, & arcam,
  (Qua saluatus erat) nauis adunca refert:
Nam cùm tota cohors hominum subuersa periret,
  Et scelerum pœnas flumine mersa daret,
Iustitiæ præco, tantas euadere clades
  (Cumq; suis tutus viuere) dignus erat:
Is Dominum puro complectebatur amore,
  Huius & explebat pectore iussa pio,
Sic bonus emergit, tempestatúmque procellas,
  Et diræ superat nubila spissa necis.
Improbus at contrà, qui colla tumentia cœlo
  Erigit, & similem se putat esse Deo,
Præceps ad nigri mœstißima regna Tyranni
  Truditur, æterno tempore lucis egens.

Reparatio generis humani. XI.



DEucalion vnà cum Pyrrha coniuge ſua, Themidis vatis oraculum, de reparando Mortalium genere conſuluit: ex cuius reſponſione ſignificatum eſt, vt corporibus diſcinctis,& velato capite, oſſa Magnæ Parentis, id eſt lapides terrę, retrò atque à tergo iacerent. Proiecta igitur à Deucalione ſaxa mares, à Pyrrha verò fæminę confeſtim euaſerunt.

ENARRATIO.

IAm desolatas prospectans vndique terras
Deucalion, lachrymas fundit ab ore graues,
Affatúrque thori consortem nomine Pyrrham,
O soror, ô coniux, spes mea dulcis, ait:
Nos duo turba sumus, cuncta de gente superstes,
Humanum crescet qua ratione genus?
O vtinam liceat populos reparare peremptos,
Consilium forsan numina sacra dabunt.
Accedunt igitur Themidis delubra potentis,
Summissóque Deæ corde precantur opem.
Quæ velare caput, tunicásque resoluere cinctas
Ambos, ac Templum deseruisse iubet.
Dehinc etiam iactare citò post terga Parentis
Dura creatricis præcipit ossa Themis.
Ancipites timida voluunt oracula mente
Ambo, datæ sortis dum reperere viam,
En lapides terræ sua post vestigia mittunt,
(Qui Magnæ lapides ossa parentis erant.)
Protinus humanam sumunt sibi saxa figuram,
Inde recens magno crescit in orbe genus.

ALLEGORIA.

Heu sumus, à veteri quotquot generamur Adamo,
Horrida progenies, pectora dura gerens.
Nec medicamen adest, quod saxea corda resoluat,
Quàm Mediatoris gratia sancta Dei.
Amouet hæc sæuum spissa de mente rigorem,
Hinc fiunt mollis, membra petrosa, caro.

Python ſerpens ab Apolline interficitur. XII.



E Vigore Solis, quæ eſt cauſa generationis animalium, terra poſt Cataclyſmon, inter cęteras brutorum ſpecies etiam Pythonem ſerpentem edidit, forma quidem ignota mortalibus. Hunc Apollo ſagittis ſuis interemit, & ne eius nomen aboleret, inſtituit ludos ac certamina in perpetuam rei memoriam: Hinc & ipſe Apollo Pythius, ludique Pythij ſunt nominati.

ENARRATIO.

IRriguo postquam tellus humore madebat,
Percaluit sicco Solis ab igne lutum:
Terráque brutorum species, ac mille figuras
Protulit antiquas: & noua monstra dedit.
Nascitur hinc etiam squamoso corpore serpens,
Triste venenato virus & ore vomit.
Horrificum populis idem minitando pauorem
Incutit, ac trepido corda timore replet.
Hunc arcu sequitur flexo crinitus Apollo,
Intentans illi spicula sæua necis.
Depromptis pharetra, Pythonem mille sagittis
Obruit, ínque latus tela cruenta iacit.
Ac monstrum fuso, per vulnera nigra veneno
Contundit, ludos instituitque nouos.

ALLEGORIA.

Cætera sic præter serpens animalia tortus,
Hostica sanguinei signa furoris habet,
Insidiásque struit tacitas mortalibus ægris,
Liuor eos inter, lísque nefanda manet.
Nam Sathanas tumidũ se trãsformauit in Anguẽ
Decipiens primum fraude latente patrem.
Cladibus hinc homines miseros immersit amaris,
Hinc nos infestat perniciosa lues.
Sed tamen horrendi turgentia colla Draconis
Contudit æterni Filius ipse Dei.
Hic vicit rabidum preciosa morte Tyrannum,
Vllà ne posset parte nocere piis.

Daphne amatur à Phœbo.
XIII.



DAphne Penei fluminis filia, cum omnium virginnm, quæ in Theſſalia eſſent, ſpecioſiſſima haberetur, adeò quidem, vt & Deos ſua pulchritudine caperet: Apollo cùm eam cōſpexiſſet, forma illius ſupra modum delectabatur, quam, cùm neque pollicitis, neque precibus permouere poſſet, ei vim inferre tentauit.

ENARRATIO.

Egregio quondam Daphne Peneia vultu,
Tessalicas inter, virgo suprema fuit.
Candida cui facies pulchro suffusa rubore
Splenduit, & roseo luxit in ore decus.
Illam Phœbus amat, sed non succedit amanti
Propositum, fallunt irrita vota Deum.
Intactæ siquidem mens est immota puellæ,
Perpetuò casta virginitate frui.
Vritur immodicis inter præcordia flammis
Phœbus & ardenti pectore surgit amor.
Insequitur Daphnes celeri vestigia cursu,
Illius & blanda nomina voce vocat.
Quò magis hic ardet, tantò fugit ocyor illa,
Fluxa nec in precio verba vocantis habet.
Dum neq; promissis, precibus neque vincitur vllis,
Dulcia nec Veneris gaudia scire cupit.

ALLEGORIA.

Insano velut hîc Titan indulget amori,
Et cæco Daphnes carpitur igne salax.
Haud alia Sathanas animam ratione Tyrannus
Humanam letho tradere semper auet:
Insequitúrque bonam variis insultibus audax,
Et lapsu miseram deteriore grauat.
Ad se blanditiis homines inuitat amœnis,
(Instructus miris fraudibus atque dolis:)
Dæmonis at syncerus homo mala retia vitans,
Cautus ab illius tramite flectat iter.

Daphne in Laurum. XIIII.



DAphne ab Apolline diu multumque cursu defatigata, & ipsius conspectum strenuè fugiens, tandem Patrem inuocabat, vt ei ferret auxilium, & virginitatem, quam ipsi promiserat, conseruaret integram. Hanc ergo filiam suam, auditis precibus Parens, vt vim insequentis effugeret, in Laurum transmutauit.

ENARRATIO.

PHæbus vt insequitur Daphnē velocibus alis,
Et requiem fessæ (captus amore) negat:
Imminet huic tandem, tergoq; fugacis inhærens,
Stridula, diffusas afflat, vt aura, comas.
Virgo sed exhaustis pallescit viribus, alba
Stans rigido celeris victa labore fugæ.
Post vbi lassa nimis Peneïdas aspicit vndas,
Territa succlamans, fer (Pater) inquit, opem.
Inde grauis torpor teneros complectitur artus,
Cinguntur duro mollia membra libro.
Moxq; pili frondes, nascuntur brachia rami,
Fitq; palatino Laurus amata Deo.

ALLEGORIA.

Sic animam quoties rabiosa fauce malignus
Venatur Sathanas, oraq; pandit atrox:
Ipsius insidias fugiens, artesq; dolosas,
Fortiter immota mente repugnet homo.
Implorétque sui numen cœleste Parentis,
Ceu patris auxilium virgo relicta vocat.
Et sæuis talem rapiet, grauibúsque periclis,
Mutabítque citò corda priora Deus.
Hunc simul in Laurum tūc trāsformabit amœnam
Quæ radice sua tendit ad ima procul.
Perpetuóque viret, nec fulmine tangitur vllo,
Gratus & è teneris frondibus exit odor.
Sic quoque talis homo casus superabit acerbos,
Semper & illius dulce vigebit opus.

Iupiter & Io. XV.



INachi amnis filia, cùm æquales sua specie superaret, à Ioue adamata est, quæ cum in syluam opacam se reciperet, Iupiter medio die nebulas induxit: Admotis deinceps precibus, virgo desiderium eius expleuit. Cæterùm ne puella in Iunonis iram incideret, à compressore, post facinus perpetratum, in vaccam est transmutata.

ENARRATIO.

INachus amnis erat, liquidis vberrimus vndis,
Fletibus & lachrymis ille rigabat aquas.
Io nam perdens sobolem quærebat ademptam,
Partibus in multis nec reperire datur.
Iupiter hanc patrio redeuntem flumine solam
Viderat, occulta quam petit arte salax.
Admonet vt lucos subeat, latebrásque ferarum:
Nil dicens metuas, præside tuta Deo.
Inductis pariter nebulis, caligine terram
Implicat, & cæca nocte reuoluit humum.
Et sic virgineo fruitur lasciuus amore,
Tales at Iuno sentit acerba dolos.
Miratur tenebras nitida sub luce diei,
Iuppiter extemplo facta nefanda tegit.
Mutat & in vaccam speciosa fronte puellam
Inachis euadit bos adamata Ioui.

ALLEGORIA.

Iuppiter hic veteris ludibria sæua Draconis
Exprimit, is nebulas insidiosus amat.
Auersans rutuli candentia lumina Solis,
Nos quoque speluncas incoluisse iubet.
Et prius ad facinus quàm nos compellat agendum
Inuehit & medio nubila densa die.
Et leue peccatum, nec atrocia crimina reddit,
In laqueos donec præda petita cadat.
Tunc homo fit similis vaccæ ratione carentis,
Amittens animi munera celsa sui.

Io in Vaccam. XVI.



IOuis fallaciam vbi Iuno intellexiſſet, petiit ab eo, vt veluti munus vaccam ipſi daret, quia formoſior eſſet cæteris armentis. Iupiter verò, ne, ſi denegaret puellam proderet, confeſtim vxorem petitionis ac voti ſui compotem reddit. Iuno igitur, ad prohibendum Iouis cum pellice concubitum, Argum Ariſtonis filium, centum oculos habentem, ei præpoſuit.

ENARRATIO.

CVm se fraude Iouis captam Saturnia sensit,
Detur vacca loco muneris alba petit.
Egregiæ cùm sit species miranda iuuencæ,
Iuppiter hanc illi iure negare nequit.
Munus ei tribuit vaccam candore nitentem,
Nec caret accepto munere, Diua, metu.
Nam Iouis insidias, & callida furta mariti
Expendens, dubij plena timoris erat.
Ergò bouem vigili seruandam tradidit Argo,
Centum cui lustrant lumina clara caput.
At vicibus certis carpunt modò bina soporem,
Fortiter excubias cætera semper, agunt.
Omnibus inde locis Argo spectabilis Io
Astat, in hanc oculos torquet vbique suos.
Luce quidem vesci sinit hanc viridantibus herbis,
Cornua sed vinclis nocte recurua ligat.

ALLEGORIA.

Sic homo quem Dæmon malus à pietate reflexit
Ad scelus, horribili subditur ipse iugo.
Quicquid agit, quocunque meat, captiuus oberrat
Libertate (sibi quæ fuit ante) carens.
Illius & gressus centeno lumine seruat
Hostis, vt hunc falso tramite ducat atrox.
Et vetat ad pietatis iter, fingémue reuerti,
Quem vafra laqueis implicat arte suis.
Discat homo sæui technas vitare Tyranni,
Lucida queîs nobis claudit ad astra viam.

Argus & Mercurius.
XVII.



MErcurius à Ioue Patre ſuo, ad Argum interficiendum, habitu paſtorali mittitur, cuius ille mandato protinus obtemperans, ad Argum accedit, eundémque fiſtulæ dulcedine ſuauiter admodum demulcet, & oculos paſtoris ita paulatim ſomno implicare conatur, vt facilius deinde necandi eius occaſionem arripiat.

ENARRATIO.

IVppiter Inachidos casu turbatur acerbo,
Ipsius grauiter fata dolenda ferens.
Mercuriúmque cito terras demittit ad imas,
Argum, quem vita dispoliare iubet.
Protinus ille Patris mandata celerrimus explet,
Ac promptus celsa desilit arce Iouis.
Cælestem remouens habitum, per rura vagatur
Deuia pastorem vilis imago refert.
Iucundam gracili Musam meditatur auena
Callidus: arrectis auribus Argus adest.
Afficitúrque noui mira dulcedine cantus,
Et lepidos docta suspicit arte sonos.
Pergit Athlantiades animum mollire canendo,
Dum premat ipsius lumina capta sopor.
Ille tamen certa lentum deuincere somnum,
Sic inuadebat pectora dulce melos.

ALLEGORIA.

Hoc designatur cantu mellita voluptas,
Illecebræque graues, quas malus orbis habet.
Humanas etenim demulcent suauiter aures
Deliciæ carni gaudia multa ferunt.
Sed sic lethali merguntur corpora somno,
Sic etiam viciis mens adoperta iacet.
Hæ sunt Syrenes, hæc est deterrima Cyrce,
Quæ fatum nobis, interitúmque parant.
Frena voluptati quiuis durissima ponat,
Exiguo mellis tempore gustus abit.

Syrinx in arundinem. XVIII.



SYringa Nympharum, Naiadúmque ſpecioſiſſimam ,cum Pam Demogorgonis filius adamaſſet, & eam perſequens vſque ad Ladonem, Arcadiæ flumen, compuliſſet, ipſa, ne vi caſtitatem deponere cogeretur, ſororum auxilio in arundinem conuerſa eſt, ex qua Mercurij fiſtula deinceps conficiebatur.

ENARRATIO.

QVærit Ariſtorides, qua nam ratione paratus
Sit ſuauis calamus: cui deus Arcas ait,
Naias vna fuit, Syrinx quæ nomen habebat,
Eximiam ſpeciem Nympha colore ferens,
Hanc Pan ardebat flagranti captus amore,
Illius obſeruans, quod faciebat, iter.
Poſcebatq; Deæ connubia ſancta Marinæ,
Sed precibus ſpretis auia (Nympha) petit.
Aufugit & ſubitò, donec Ladonis ad amnem
Peruenit, hîc curſus impedit vnda citos.
Implorans ergo turbata mente ſorores,
Vertitur in cannam protinus ipſa leuem.
Dumq; ibi ſuſpirat, vento fluuialis arundo,
Concita iucundos edidit vſque ſonos.
Fiſtula de calamo mea pòſt compacta recenti;
Hac (genitus Maia dixerat) arte canit.

ALLEGORIA.

Nympha poteſt animam tibi deſignare nocentem,
Quæ tetra vitam perdita labe trahit.
Illecebris pariter mundi petulanter inhæret,
Aſpernans temerè fœdera ſacra Dei:
Conuertitq; vagans rapidos ad flumina greſſus,
Vt poſsit vetito carnis amore frui.
Sed tunc in calamum mutatur (iniqua) paluſtrem,
Ventus quem vehemens exagitare ſolet.
Hîc homo fit leuis & quamuis impellitur aura,
Inq; ſua firmus non ſtatione manet.

Argus occiditur, Io reformatur. XIX.



ARgus cãtu fistulæ somno grauatus, à Mercurio capite trũcatur. At Iuno ipsius oculos volucri suæ, nimirum Pauoni attribuit, eiúsque caudam pennis insignibus ornauit: Io autem vacca, diu multúmque odiò Iunonis furiis agitata, tandem in pristinam figuram reuersa est, & Isidis Deæ nomen accepit.

ENARRATIO.

Post vbi concentu vario Cyllenius Argum,
Detinet, & sonitu languida corda domat.
Euictis torpens oculis obrepere somnus
Incipit, & superat lumina cuncta sopor.
Hunc ergò celeri stertentem vulnerat ense
Arcadius, peragens iussa paterna, Deus.
Excipit ast oculos subito Lucina micantes,
Hisq; suam toto tergore cingit auem.
Pauonis caudam gemmis stellantibus ornat,
Hinc volucrem vestis tam speciosa tegit:
Pòst infensa magis Iunoni redditur Io,
Quæ lustrat varios exagitata locos.
Vacca simul terras currit furibunda per omnes,
Sed miseræ tandem pristina forma redit.
Antiquam recipit (pœna cessante) figuram,
Linigeraq; gerit nomen in orbe Deæ.


ALLEGORIA DVPLEX.

Principiò casus lethi quem sustinet Argus
Indicat, illecebræ quanta pericla ferant.
Et quàm carnis amor, quàm desidiosa voluptas
Nos in luctificæ retia mortis agant.
Pòst etiam clades Io perpessa nefandas,
Quàm gliscat Sathanæ vis truculenta, docet.
Sæpe pererrat homo furiis agitatus & œstro,
Dum ratione carens in scelus omne ruit.
Cui nisi subueniat facilis clementia Christi
Deperit, & vita sic spoliatus obit.

FINIS LIB. I.

OVIDII METAM. LIB. II.

Phaethontis petitio. I.



PHaeton ex Sole conceptus, & à matre Clymene, Oceani & Tithyos filia pro creatus, cùm ad ætatem peruenisset adultam, à matre ad patrem, videlicet Solem Orientem, mittitur: At ille, optione sibi à patre concessa, regendi currus Solaris amore accensus, facultatem, post multas monitiones & fideles instructiones, eius rei liberam consequitur.

ENARRATIO.

REgia Solis erat, gemmis, auroq; decora,
Lux vbi perpetuos gignit amœna dies.
Tendit eò Phaethon, Phœbi dubitata propago,
Hunc procul excelso conspicit axe pater.
Quis mea progenies, ait, huc te cursus adegit?
O nunquam soboles inficianda mihi.
Posce feres quodcunq; libet pro pignore certo,
Vnde tibi constet te genus esse meum.
Continuò currum Solis petit ille regendum,
Ob promissa parens corda dolore grauat.
Et monet vt genitus votis desistat iniquis,
Quem tanto fungi munere posse negat.
Vrget iners iuuenis grauiter promissa parentis,
Et rapido currus flagrat amore miser.
Annuit ergo parens: præceptaq; fida ministrans,
Vt parcat stimulis, loráq; stringat, ait:
Et medium benè seruet iter, faustosq; precatur
Successus iuueni: sed grauiora timet.

ALLGORIA.

Hîc tria præcipuè teneant, quoscunq; potestas
Imperiiq; grauis publica cura premit:
Cùm reliquis præsunt, stimulos & spicula prorsus
Ponant ac placidè subdita membra regant.
Fortiter in reprobos validis vtantur habenis,
Nec laxent agili frena remissa manu.
Pòst etiam medio virtutum tramite currant,
Et moderent populos cum pietate suos.

Phaethon tam ſupremas, quàm infimas mundi partes, incendit. II.



PHaethon iam currum aſcendens, cùm per ignotum iter monitis paternis obedire nō poſſet, quatuor equi ab alieno auriga, malè gubernati & conterriti, pronam mundi partem petierunt, multáſque mortalium regiones, vrbes, montes, ſyluas, vnà cum hominibus ſubito ardore, inflammatas abſumpſerunt.

ENARRATIO.

Conscendit Phaëthon plaudenti pectore currū
Lætus, & ignotos flectere gaudet equos.
Protinus hi vacuas implent hinnitibus auras,
Et properant celeri pura per astra gradu.
Principio solitos seruant curuamine gressus,
Sed proprium callem non tenuere diu:
Nanq; leuis prisca currus grauitate carebat,
Lubrica nec poterat lora mouere puer:
Inde vagantur equi, certo nec in ordine perstant,
Sed superi tangunt sydera magna poli.
Altius egreßi volitantibus æthera flammis,
Lædunt & cæli lucida signa cremant.
At miser hinc iuuenis terras iam despicit ipsas,
Ante oculos casus, & sua fata videns.
Flectere nescit equos, nec nomina nouit eorum,
Hinc rapit, & celerem currus ad ima viam.
Adq; globum Lunæ reuolat, combustáq; fumant
Nubila, mox terras ignea flamma petit.

ALLEGORIA.

Solem iustitiæ Christum designat Apollo,
Et Phaëthon plenos ambitione viros.
Qui polypragmonicam gestant in corpore mentem,
Hi nequeunt rebus ritè praeesse suis.
Nec sibi subiectos moderari legibus aptè,
Fortia nec populis ponere frena sciunt.
Inde fit vt spreta vulgus probitate vagetur,
Insani volitant ceu Phaëthontis Equi.

Casus Phaethontis. III.



CVm in tam horribili Phaetontis incendio, terra profusis, quasi lachrymis auxilium Iouis imploraret, &, ne totus orbis ab sumeretur flammis, obnixè peteret: Phaeton fulmine ictus, de curru præcipitatus est, quem Eridanus fluuius excepit. Itaque liberati vinculis equi, agnito itinere, ad suam stationem reuersi sunt.

ENARRATIO.

HOrrida per totas serpunt incendia terras,
Exurgitq́; rapax ignis & astra petit.
In cinerem cedunt magnæ cum montibus vrbes,
Fontes, cum syluis arida flamma vorat.
Iamq́; vapor piceus magnum compleuerat orbem,
Cùm soluit tellus vota suprema Ioui.
Et supplex veniam petiit, finemq́; laborum,
Audiit ex alta Iuppiter arce preces.
Ac Phaëtonta citò deturbans fulminis ictu,
Aethere de summo præcipitanter agit,
Excipit Eridanus Iuuenis miserabile corpus,
Qui tandem curru præmia digna tulit.

ALLEEGORIA.

Significat Phaeton (quibus haud est æqua potestas
Publica quiq́; gerunt, munera) præpositos.
Illorum sed equi referunt, mihi crede ministros,
Prædarum flammas qui vomuisse solent.
Qui per auaritiam, per fraudes, perq́; rapinas
Corradunt, quicquid poßidet orbis opum.
Imperio tali mundus deletur, & omnis
Patria fumanti protinus igne cadit.
Hinc pereunt syluæ, conualles, flumina, montes,
Oppida vastantur, flagrat & ipse polus.
Diues inopsq́; simul quatitur, sacer atq; profanus,
Cum pueroq́; senex aspera fata subit.
Non est qui valeat tantas vitare ruinas,
Sic cum rege cohors subdita sæpè perit.

Heliades in arbores, IIII.



SOrores Phaëtontis Heliades, miſerabilem fratris ſui caſum deflentes, Deorum benignitate ac miſericordia, in arbores populeas mutatæ, lachrymæ autem earum (vt & Heſiodus & Euripides fabulantur) de ramis effluentes, atque calore Solis induratæ, in Electrum conuerſæ ſunt. Item rex Lyguriæ Cygnus, Phaëtonti propinquitate coniunctus, ad Padi ripas, caſum amici deflens, in auem ſui nominis euaſit.

ENARRATIO.

INterea casum Genitrix Phaëthontis acerbum
Deplorans, lachrymas excutit ore graues.
Nec minus Heliades fratrem lugere peremptum
Turbatæ pergunt, & Phaëtonta vocant:
At cùm sic miseris curas plangoribus augent,
Edentes querulos nocte dieq; sonos:
Populea quæuis sibi sumpsit ab arbore formam,
Quælibet & duro cortice cincta stetit.
Mox etiam stillæ fiunt electra profusæ.
Dum liquor ardenti sole vigescit aquæ.
Exprimit & lachrymas, Ligurū regnator amaras
Cygnus, cui Phaëthon sanguine iunctus erat.
Atque sui casus multum deplorat amici,
Nominis hinc propij fit noua Cygnus auis.

ALLEGORIA DVPLEX.

Primò virginibus natura notatur auari:
Hîc equidem iuuenis cor muliebre gerit.
Dum sequuntur mollis vanißima gaudia carnis,
Grandior in ramos arboris acer abit.
Quæ radice sua terris vt figitur altè,
Sic hæret fragili semper auarus humo.
Post Ligurum tibi rex lachrymis cui flumē obortis
Ora rigat, iustum signat in orbe virum.
Humanas toto qui luget pectore clades,
Ac deflet noxam corde dolente suam.
In Cygnum volucrem redit is candore nitentem,
Fitq; Deo coram spiritualis homo.

Apollo Lucem orbi denegat. V.



PHœbus ob casum Phaetontis filij sui magnoperè contristatus, eundémque animo indigno ferens, præbendæ posthac lucis officium mundo denegat. Cæterùm à Ioue, ac reliquis Cœlicolis tandem multis precibus exoratus amentes equos colligit, & verberibus in eos grassatur.

ENARRATIO.

Post nati casum genitor Phaethontis Apollo,
Squalidus apparet, tristiciamq; fouet.
Oblitusq; sui decoris, lucemq; perosus,
E celsa mundo denegat arce iubar.
Iratosq; ciet mœsto sub pectore planctus,
Supplicio sobolem sic periisse suam.
Liber ab officio currus cupit esse regendi,
Alter suscipiat hoc Deus, inquit, onus.
Degustetq; meos vllo sine fine labores,
Iuppiter ipse potens experiatur opus.
Omnia sed tristem circumstant lumina Phœbum,
Vtque regat currus supplice voce rogant.
Excusátq; Poli Rector, quos miserat ignes,
Colligit ergò suos Sol radiosus equos.
Sed priùs in celeres inimico verbere sæuit,
Pòst orbi nitidos præbet, vt antè, dies.

ALLEGORIA.

Incumbunt, cuius grauiora negotia collo,
Strenuus hic vigili cuncta labore gerat.
Nec celsum temerè regimen committat ineptis,
A quo dependet publica quippe salus.
Ipse sed aßiduis obeat sua munia curis,
Si bene consultum rebus vbiq; cupit.
Incutiunt aliena grauem peccata dolorem,
Cæca quis alterius crimina sæpe luit:
Sic quoq; mœsticiam Phaethon, luctúmq; parenti
Attulerat, rapidos dum malè rexit equos.

Iuppiter

Iuppiter Calisto comprimit. VI.



IVppiter cùm circa montem Arcadiæ, vbi genitus existimatur, vagaretur, in Calistus Lycaonis filiæ amorem incidit: qui cùm preces de expletione desiderij sui admouisset, frustratásque suas voces intellexisset, astu eam subiit, in Dianæ nanque sexum se commutauit, eíque fatigatę, ornatus Pharetra & sagittis occurrit, tum veste deposita virgo Iouem experta est.

ENARRATIO.

IVppiter Arcadiam cum perlustraret amatam,
Has circum terras itq; reditq; frequens:
Singula restituit, quæ sunt collapsa per ignem,
Rimaturq; vagos cæca per antra locos.
Fors Nonacrinam pulchro videt ore puellam,
Ardenti cuius flagrat amore Deus.
Virgo feris infensa nemus peragrabat opacum,
Nam Triuiæ longo tempore miles erat.
Hæc vbi fessa, solo pharetram ponebat & arcum,
Comprimitur falsis à Ioue lusa dolis.
Syluestres habitus is enim cultumq; Dianæ
Indutus, tacita pectora fraude subit.

ALLEGORIA.

Iuppiter hîc lassam veluti, solamq; sedentem
Parrhasin (erepta virginitate) capit:
Haud aliter Dæmon versuto callidus astu,
Insidias nobis nocte diéq; struit.
Cuius vbi captare nequit violenta potestas
Sublimes animas, vis nec aperta valet:
Fraudibus atq; dolis plenissima retia tendit,
Protinus in vultus mutat & ora nouos.
Lucis & in Genium sese transformat amœnum,
Defessos ludens iam pietate viros:
Dum carpit placidam viridi tellure quietem
Frigidus, et cœli regna perosus homo,
Aduolat Sathanas, & segnia corda malignus
Occupat, hinc scelerum magna caterua venit.

Caliſto in Vrſam mutatur. VII.



CVm Iuppiter Caliſto inuitam, & præter omnem eius voluntatem ac meritum vitiaſſet, à Iunone immerenti delictum hoc minimè remittebatur. Nam cùm inter lauandum ferre vterum ipſam animaduerteret, confeſtim pellicatu eius incenſa eſt, ac ne amplius pulchritudine coniugem ſuum caperet, in Vrſam Caliſto, poſt ſobolem procreatam, Saturnia transfigurauit.

ENARRATIO.

FRaude Iouis virgo cùm Nonacrina pudorem,
  Perdiderat, fœtum concipit illa grauem:
Criminis ast huius Saturnia præscia, lucos
  Ingreditur solito conglomerata choro.
Parrasin ad se se vocat, & fluuialibus vndis
  Languida cum sociis membra lauare cupit.
Haud mora, diua cohors ponunt velamina ripis,
  At longas nectit Parrhasis vsq; moras.
Surripitur vestis dubitanti: protinus ipsam
  Turgidus in gelidis prodidit aluus aquis.
Ad quam sic Iuno: sacros ne pollue fontes
  Perdita, cede procul cede nefanda procul.
Et minitatur ei post partus tempora, pœnam,
  Pollicitis etiam stat Dea ritè suis.
Nam simul ac infans tener est exclusus ab aluo,
  Syluestres fit amans (Parrhasis) vrsa locos.

ALLEGORIA.

Per delicta, vagans homo sic vbi factus adulter,
  Desciscit petulans à genitore Deo.
Virginis ex habitu syluestris bellua prodit,
  Illius & species, quæ fuit antè perit.
Induit horrendos immani corpore mores,
  Vngues & curuos asper vt vrsus habet.
Ac fouet infido peruersos pectore motus,
  Vox & in hirsuta pelle tremenda sonat.
Quæ nihil eructat, nisi turpia gutture dicta,
  Bestia sic turpis, fit sceleratus homo.

Calisto & Arcas facta sydera. VIII.



CAlisto cùm Arcade filio suo, quem è Iouis concubitu fuit enixa, in cælum à Ioue translata inter astra ambo collocantur, quæ à Græcis Helices, ac Cynosuræ nomen accepêre. A Thety autem & Oceano, ob iram Iunonis, inter cætera sydera hæc liquore non tinguntur. Hinc Ouidius alibi: Magna minórq; feræ, quarum regit altera Graias, Altera Sidonias, vtraque sicca rates.

ENARRATIO.

Parrhasis immanem syluis induta figuram
Circuit, & mediis se timet vrsa lupis,
Cuius progenies Arcas quinquennia complens
Iam tria, promptus adest, insequiturq; feras,
Nexilibusq; plagis saltus cùm deligit aptos,
Incidit in matris nescius ora puer.
Nonacrina citò fera substitit Arcade viso,
Fixit & in prolem lumina firma suam:
Sed puer extemplo refugit, metuitq; feroces
Vultus, & pharetra promere tela parat:
Iuppiter ergò tonans, audacia cœpta refringit,
Ambos & nitidi tollit ad astra poli.
Ascendunt ambo, vicináq; sydera fiunt,
Pectora sed Iuno plena dolore gerit,
Oceano mandans abigatur vt æquore pellex,
Squalida ne puro flumine membra riget.
Inde fit vt nunquam mergantur ad ima Triones,
Astra sed in summo stent bene fixa globo.

ALLEGORIA.

Mortales notat hîc Iuno liuore repletos,
Qui non alterius commoda ferre queunt.
Sic capit ex hominū Sathanas mera gaudia dānis,
Prospera sed si quem sors iuuat, vsq; dolet.
Ringitur atq; malum pascit sub corde venenum,
Iuppiter è contrà fert simulachra Dei.
Qui clades remouet, pressos miseratur, eosdem
Puluere terreno mitis ad astra leuat.

Erichtonius cista includitur. IX.



MInerua Erichtonium Vulcani filium, ex eo, quòd è complexu ipsius in terram ceciderat, natum, sustulit, & comitibus suis Pandroso, Hersæ, Aglauróque Cecropis filiabus, cistella viminea inclusum, custodiendum tradidit, seuerè præcipiens, ne quis quod intus esset, inspiceret: Cæterùm à custodibus cistula laxata, & infans, partim homo, partim serpens, conspectus est.

ENARRATIO.

Vulcani quondam genitali semine prolem
Pallas Erichtonium casta leuauit humo.
Quem tacitè clausit texta de vimine cista,
(Creta quidem soboles hæc sine matre fuit.)
Seruandumq; dedit puerum de Cecrope natis,
Quas cistæ curam iußit habere DEA.
Intus at omnino non est confessa, quid esset,
Virginibusq; vetat vas aperire tribus.
Pandrosos absq; dolo, commissa tuetur, & Herse,
Iussa sed Aglauros non violare nequit.
Dissoluit nodos cistæ, timidásq; sorores
Aduocat, hîc monstri viscera parua vident.
Humani supra vultus, fœdiq; Draconis
Inferius, clauso vase figura latet.

ALLEGORIA.

Fabula demonstrat præsens, arcana recludi
Sæpius, & firmam non retinere fidem:
Semper enim vetitos homines labuntur in actus,
Quilibet est pronus, quod prohibetur, agit.
Propterea secreta caue committere cuiuis,
Rara fides nostro tempore, rarus amor.
Fallaci perdiscat homo diffidere mundo,
Est quod præcipuum iam sapientis opus.
Fœmineo generi nemo concredere quicquam
Audeat, inconstans, & leue pectus habet.
Omnia nosse cupit mulier, secreta reuelat,
Et nisi quod nescit, nil retinere potest.

Coronis in cornicem mutatur. X.



Postquam Coronis, Regis Coronei filia, Cecropidarum in aperienda cista, diuulgaret audaciam, eámque ad Palladem referret, protinus à Mineruæ comitatu fuit repulsa. Cùm igitur, in solitudinem se conferens: oblectaretur littore, Neptunus procul ea conspecta, amore virginis incaluit: cui cùm vim afferre conaretur, ab eadem Dea, propter virginitatem retinendam, in auiculam Cornicem est transmutata.

ENARRATIO.

Cecropis vt natæ vetitam soluêre tabernam,
Fertur Erichtonius qua latuisse puer,
Illarum facinus mox Larissæa Coronis
Palladis ad castæ numina magna refert.
Dumq; sibi sperat regalia præmia dignas
Multiloqua pœnas garrulitate capit.
Nam citò tutela secluditur illa Mineruæ,
Vndarum deinceps littora curua petit.
Quam pelagi Deus inspiciens accenditur igne,
Et blando varias implicat ore preces.
Hæc fugit, is sequitur, fugientem passibus æquis
Neptunus premit: ast inuocat ipsa Deos.
Præstitit auxilium cui Pallas ab æthere summo,
Membraq; cornicis nigra puella trahit.
Hæc in viuacem pariter conserua volucrem,
Aëra iam cantu garrula mulcet auis.

ALLEGORIA.

Littoris ad siccas quæ sic spaciatur arenas
Virgo, tibi curis pectus inane notat,
Ac planè donis mentem cœlestibus orbam:
Hæc solet ad littus se reuocare maris,
Dum nihil omnino quàm vana negocia mundi,
Et mala peruersæ gaudia carnis, amat.
Hos crebrò Sathanas homines infestat & angit,
Hos & in exitium præcipitanter agit.
Ni Deus illorum votis permotus, egenis
Præsidium solita pro bonitate ferat.

Coronis ab Appolline transfigitur. XI.



Coruus volucris initio naturæ, candidis pẽnis plumatus fuit, is Coronidem Phlegiæ filiam (ſeu vt alij volunt, Leucippi) indicauit Appollini, cùm Elati filio, cui nomen Iſchys erat, concubuiſſe, vnde flagrantis Dei ſagittis puella confixa eſt. Phœbus autem cùm facti eũ pœniteret, coruo garrulitatis ergò, nigrum colorem indidit. Ex hac & Apolline natus eſt Æſculapius, quem pater exciſo vtero matris ad Chironem in Pelion montem detulit, vt ab eo incrementum, ſimúlque ſcientiam medendi addiſceret.

ENARRATIO.

Non fuit Oemonia virgo præstantior ampla,
Quam dilecta tibi Phœbe Coronis erat.
Hæc fertur castum leuiter soluisse pudorem,
Et vetitos thalami commaculasse toros.
Sensit concubitus Phœbeius ales iniquos,
Ad dominúmque refert crimina fœda suum.
Aemonio Iuueni vidisse Coronida narrat
Commixtam: rabido Cynthius igne calet.
Illius & tumida mens excandescit ab ira,
Hinc Deus assueto spicula more rapit.
Intendítque minax sinuatum cornibus arcum,
Imponens celeri tela cruenta manu.
Traiicit & ferro iuuenilia corda puellæ,
Quæ gemitus alto vulnere tacta dabat.
Post obitum calidæ Phœbum citò pœnitet iræ,
Qui subitò grauidam sic periisse dolet.
Ex vtero natum rapit, & Chironis in antrum
Defert, vt medica crescat in arte puer.
At Coruum, retulit quia tristia nuncia, nigras
(Antea candentem) collocat inter aues.

ALLEGORIA.

Sic soluit pœnas culpæ formosa Coronis,
Nam vindicta Dei crimina quæq; premit.
Tu quoq; Corue loquax pro munere, debita iustè
Præmia verbosæ garrulitatis habes.
Nam nocet effrenis, quam vincula nulla cohercent
Lingua, per & iugulum vox mala sæpe redit.

Ocyrhoe Chironis filia in equam. XII.



OCyrhoe Chironis filia, contemptis patris sui artibus, futura præcinit, infantíque Aesculapio prædixit, quòd medicina mortuos ad superos educturus esset, & ab auo fulminis ictum experturus: Patrem quoque sagittis, cruciandum, cupidúmque mortis ex Deo mortalem futurum, prænunciauit. Quæ vaticinia, cùm esset elocuta, in equi cessit figuram, ne aduersantibus fatis, plura ederet, quam prædicta Apollinis largirentur,


ENARRATIO.

OCyrhoe quondã Chironis filia vatis
Munere perfungens, multa futura canit:
Cúmque semel rapidos cepisset mente furores,
Fatidico tales protulit ore sonos:
Cresce puer, dixit, Phœbi clarißima proles,
Gaudia defunctis lucis amœna feres.
Extinctis (per te Medicum) sua vita redibit,
Te tamen & sæuo fulmine tanget auus.
Post ad Chironem loquitur conuersa parentem,
Tristia te (Genitor) fata perinde manent:
Sanguine serpentum tinctis cruciabere telis,
Inuadétque grauis saucia membra dolor.
Téque Deus cùm sis mortalem numina reddent,
Vt poßint triplices fila secare Deæ.
Hæc virgo lachrymis suspirans fatur obortis,
Et mutat subitò corporis ora sui.
Vox prior & facies cessant, animalis imago
Nascitur, & rigidæ membra creantur equæ.

ALLEGORIA.

Fabula diuitiis hæc fortunáque potentes,
Et multa tumidos ambitione, notat.
Exoptata quibus vita conceditur ætas,
Et quibus ad nutum prospera cuncta fluunt,
Hi planè casus nequeunt audire futuros,
Si quis eis mortem suppliciumq; canat.
Præ foribúsque malis pœnas, irámque Tonantis
Nunciet: hic vates præmia dira refert.

Battus in ſaxum. XIII.



MErcurius Apollini, boues Admeti Pheritis filij, paſcenti, in Pyliæ agris auertit, & in ſylua occuluit: Batto autem hoc videnti vaccam, ne furtum indicaret, dono dedit, quam ille accipiens, proximum lapidem citius, quam ſe aliquid ea de re locuturum affirmauit. Statim igitur Mercurius mutata figura reuerſus, ſe amiſſos boues quęrere ſimulat, ac Batto duplex præmium promittit, qui cùm ei montem, vbi paſcerentur, mox oſtendiſſet, propter perfidiam in ſaxum tranſmutatus eſt.

ENARRATIO.

PAstor erat quondam cithara pulsator Apollo,
Qui sibi dum cantu tædia mœsta leuat,
Custodita parum Pylios armenta per agros
Errant Arcadiæ cuncta vidente Deo.
Impiger ille boues syluis occultat abactos,
Hæc sensit furti crimina rure senex.
Cui Maia Genitus, nitidam pro munere vaccam
Donat, vt hæc aliquo furta rogante, neget.
Battus ait, prius hoc saxum commissa loquetur,
(Ostendens lapidem) tu modò tutus abi.
Discessum simulat Deus, at cum voce figuram
Commutans, subitò rura per illa redit.
Amissósque boues quærens, affatur eundem:
Viderit errantes is-ne per arua greges.
Illi cùm tauro dabitur mox fœmina iuncta,
(Natus ait Maia) qui mihi præstat opem.
Protinus erupit Senior, sub montibus istis,
(Inquit) erat primum copia magna boum.
Odit Athlantiades hominis mutabile pectus,
Vertit & in saxum squalida membra Senis.

ALLEGORIA.

Hic tibi causidicum Battus designat auarum,
Qui solet intenta semper adesse manu.
Suscipit alterius mercede negotia captus
Expedienda, fidem sed negat inde suam.
Huic etenim quando duplicantur munera, partes
Oppositas (lucri cæcus amore) fouet.

Mercu-

Mercurius Herſes amore capitur. XIIII.



Athenis virgines per ſolenne ſacrificium caniſtris Mineruæ ferebant pigmenta: Inter quas à Mercurio conſpecta eſt Herſe, Cecropis filia. Quamobrem aggreſſus ſororem eius Aglauron, precatus eſt eam, vt ſe Herſæ, ſorori ſuæ, coniungeret. Quæ cùm ab eo pro miniſterio aurum popoſciſſet: Pallas grauiter ei offenſa eſt, cùm ob ciſtulam, quam aperuit, tùm ob auaritiæ flagitium, quod auro tam turpiter inhiaret.

ENARRATIO.

Mercurius quondam castas de more puellas
  Viderat armigeræ sacrificare Deæ:
Has vafer attendens, festas circumuolat arces,
  Palladis & curuo tramite flectit iter.
Virginibus fuerat reliquis insignior Herse,
  Arcadio iuueni quæ veneranda placet.
Pars domus interior luxu decorata superbo,
  Egregiè thalamis stat fabricata tribus.
Androsos, Aglauros, Herse, tres quippe sorores
  Tecta colunt: proprio qualibet apta toro.
Prima sed Aglauros vestigia seruat euntis,
  Cernit & ignoti numen adesse Dei:
Aduentus igitur causam noménque requirit
  Illius, huic subitò penniger ales ait:
Herse connubio soror vt iungatur amanti,
  Nunc adsum cœli lapsus ab axe, mihi:
Tu faueas cœptis ac mitem redde sororem:
  Protinus hæc auri pondera magna petit.
Dúmque ferat, subitò tectis expellitur Hermes,
  Arsit eam contra Palladis ira Deæ:
Voluit adhuc cistam commota mente reclusam,
  Post & auaritiæ crimen adauget onus.

ALLEGORIA.

Sic hominum noxæ tandem reteguntur ad auras,
  Quod latet interdum suscitat vna dies:
Supplicium multos differtur sæpe per annos,
  Sed certo grauior tempore pœna venit.

Deſcriptio Liuoris & Inuidiæ. XV.



AGlauros, vna ex Cecropi filiabus, cùm ob arcanorum reuelationem, tum ob auaritiam, inuidia & liuore correpta fuit: Antequam verò ſingulas rei circumſtantias acuratè deſcribat Poëta, inuidiæ προσωπογραφίαν domúſque eius luculentam deſignationem, vnà cùm proprietatibus huius ſceleris, pręmittit, vt ex ſequentibus patet verſiculis.

ENARRATIO.

Est domus obscuri cæcis in vallibus antri,
Quæ nunquam ventis peruia sole caret.
Tristis & immenso quæ frigore semper abundat,
Quam caligo frequens, nox & amara, premit.
Vipereas intus carnes discerpere dicunt
Inuidiam, fauces & saturare suas:
Exagitat macies hoc formidabile monstrum,
Liuor edit corpus, pallor in ore sedet.
Igne micant oculi rapido, lethale venenum
Corpus habet, nigro pectora felle tument.
Risus abest omnis, nec carpit iniqua soporem,
Sed versat curas nocte diéque graues.
Successus hominum dolet, ac tabescit eorum
Fortunis, odio dum furibunda scatet.
Huic Dea Pallas ait: fluida citò tabe sororem
Herses inficias, virus & acre vomas.
Protinus Aglauros tetro suffusa veneno
Turget, & inuidiæ viscera pestis init.

INTERPRETATIO MORALIS.

Cernitur hic expressa tibi liuoris imago,
Inuidus hæc omnis, signa notásque gerit.
Est niger & siccus, macer est & pallidus ore,
Speluncis habitat, lumine solis eget,
Nempè per inuidiam malus excæcatur inertem,
Plena venenati pectora fellis habens.
In somnis noctu longas vigilare per horas,
Et pectus Diris excruciare solet.

Aglauros in lapidem. XVI.



CVm Pallas iam Aglauro, Cecropis filiæ ſtimulos inuidiæ addidiſſet, ea quidem diu multúmque, ob felicitatem ſororis, liuore cruciabatur, & Mercurio magnopere repugnabat, ne amata Herſe potiretur. Tandem cùm de ſuo propoſito Aglauros non deſiſteret & ingreſſum Mercurio (limine ante fores inſidens) prohiberet, ab ipſo in lapidem conuerſa eſt.

ENARRATIO.

CEcropidam liuor tacitè mordebat amarus,
Anxia nam læta sorte sororis erat,
Mercuriiq; toris offendebatur honestis,
Exoptans potius fata subire necis.
Quam sic diuinis cumulatam cernere donis
Germanam: penetrat tabida corda dolor.
Arcadiusq; fores cùm iam properaret ad ipsas,
Aglauros nitido limine mœsta sedet.
Occludens ædes pariter, conatur amantem
Pellere: sed reserat ferrea claustra Deus.
Virgo stupet subitò, postésq; relinquere tentat,
Ast ignaua loco membra mouere nequit:
Nam iunctura riget genuum, gelidusq; per ossa
Horror it, & tepidus corpore sanguis abest.
Vitalisq; calor languentes deserit artus,
Ac tantum silicis signa relicta manent.

ALLEGORIA.

Sic peccata grauem texunt sine fine catenam,
Crimen auaritiæ crimina plura souet.
Hinc scelus inuidiæ (scelerum deterrima pestis)
Nascitur, inde dolus, fraus & iniqua meat.
Post aliud facinus vis & truculentia surgit,
Ac delictorum longa caterua subit.
Talis at in rigidum mutatur bestia saxum,
Denique dum verè saxea corda gerit.
Quam neq; blãdus amor, neq; commiseratio flectit,
Quæ superat rabidos & feritate lupos.

Iupiter in Taurum. XVII.



MErcurio iussu patris in Phœnicia regione armenta ad littus compellente, Iupiter in Taurum conuersus est, qui dum se iuuencis Agenoris regis immiscebat, in amorem sui spaciantes in arena virgines allexit, & cum singulis paulatim ludens, tandem Europam Agenoris filiam, insidentem sibi tergo, per mare in Cretam Insulam detulit, ibique concubitu eius est potitus.

ENARRATIO.

Arcadium recipit iuuenem Phœnicia tellus,
Qui celerè supera desilit arce Iouis:
Regis & armentum vertens ad littora cogit,
Mos vbi virginibus ludere gratus erat.
Filia non rarò veniebat Agenoris illuc,
Reficiens Tyrio se comitata choro:
Induit ergo bouis faciem, mugitque per arua
Iuppiter, & tenero gramine carpit iter.
Est color huic niueus, mansuetáq; lucet imago,
Et præbet nullas asperitate minas.
Scilicet hunc Regis miratur filia taurum,
Ac petulans flores huius ad ora mouet:
Gaudet amans, manibus simul oscula figit amata,
Mutua sic animi dans monumenta sui.
Pectora post virgo palpat, post cornua sertis
Implicat, & tandem tergora dura premit.
Tum Deus abscedit sicco de littore sensim,
Atque pedem lento tramite ponit aquis.
Pergit & vlterius, prædámq; reportat auaram,
(Impositam dorso) per vada salsa maris.

ALLEGORIA.

Fabula lasciuas tibi denotat ista puellas,
Agmina quæ iuuenum visere vana solent.
Tunc harum blando sensim capiuntur amore,
Linquentes patrias, limina tuta, domos.
Ac tacitè scelerum portantur ad æquora, nullus
(Suauior elusis) exitus inde patet.

OVIDII METAM. LIB. III.

Anguis Cadmi ſocios interficit. I.



CAdmus Agenoris regis Phœniciæ filius, à Patre ablegatus, Europã Sororẽ fraude Iouis ſurreptã, in omnibus terrę partibus quæſiuit: at eã cũ nuſpiam inueniret, ab Apolline admonitus, Bœotiã condere (nã in patris prodire conſpectũ verebatur) in animo habet: Ioui autem prius ſacrificaturus, ſocios è vicino Martis fõte, ad hauriendã aquã dimittit qui ab horrẽdo quodam Dracone ad locũ iſtũ interfecti ſunt.

ENARRATIO.

Quærit Agenorides surreptā fraude sororem,
Lustrans innumeros Rege iubente locos.
Qua non inuenta, Dictæa reuisere rura
Addubitat, patrias sic timet ille minas:
Obseruans igitur nitidæ vestigia vaccæ,
Constanter monitis paret Apollo tuis.
Bos & vbi tenera sese submiserat herba,
Hîc placitum Cadmo figere limen erat.
Quam prius at firmæ noua mœnia poneret vrbis,
Excelso statuit sacrificare Ioui.
Inde suos haustum lymphas iubet ire ministros
Fons vbi præcincto vimine fundit aquas:
Virgulto sed enim Coluber celatur agresti,
Horridus expanso virus ab ore vomens,
Morsibus et Cadmi socios immanibus omnes
Enecat: inq; viros atra venena iacit.

ALLEGORIA.

Iste Draco veteris gestat simulachra Tyranni,
Nomina qui tetri vera Draconis habet:
Nam velut hic Cadmi mortem subiere ministri,
Dum fontis gelidi viua fluenta petunt:
Haud homines aliter crudelibus obiicit vmbris
Hostis atrox, quoties gaudia vana trahunt.
Quando voluptatis liquidas spaciamur ad vndas,
Anguis sub viridi gramine sæpe latet:
Vndiq; sic nobis Dæmon sua retia tendit,
Vt nos in Baratrum perditionis agat.

Serpens à Cadmo interficitur. II.



CAdmus ſocios ſuos ad fontem ablegatos per aliquot horas ſollicito animo expectans, quærere tandem incipit, ac nemus ingrediens, eminùs horrendum Draconem illorum viſcera deglutire videt, ad quem ipſe pelle Leonis indutus probéque armatus accedit, & monſtrum illud ſolus, magnis cum laboribus & extremo vitæ periculo, deuincit.

ENARRATIO.

IAmdudum socios expectat Agenore natus,
Nescius impediat quæ mora tarda viros.
Continuè munit direpta pelle Leoni
Corpus, & audaces instruit ense manus.
Inq; nemus gradiens, monstrum crudele Draconis
Lambere cæsorum membra cruenta videt:
Mente pauet Cadmus trepida, sociósque peremptos
Sic à squamigero turpiter angue dolet.
Sed pietas vires accendit & inclyta virtus
Vltorem tanti criminis esse iubet.
Sustulit hinc ingens magno conamine saxum,
Misit & in medium corporis illud onus.
At squamosa tegit serpentem pellis, & ictum
Excipit incolumis, nec leue vulnus habet.
Duritia tamen haud potuit sic vincere ferrum
Cuspidis, heu penetrant spicula sæua cutim:
Spumáque pestiferis è faucibus acta resultat,
Sic Draco Cadme tuo robore victus obit.

ALLEGORIA.

Noster Agenorides vero sit nomine Christus,
Ast anguis Sathanam tu scelerate notas:
Vis hominis nullius erat deuincere monstrum
Horrificum, Christi muneris illud erat.
In mortale genus Dæmon lethale venenum
Expuit, hinc hominum maxima turba perit:
Vita sed è Christo (tutudit qui colla Draconis)
Effluit, hinc lethi iura seuera silent.

Milites è ſerpentis naſcuntur dentibus. III.



POſtquam Cadmus magnum illum Draconem interfecit, dentes ipſius, monitu Mineruæ, humo ſparſit, ex quibus armatorum hominum ingens multitudo progenita eſt, quæ inter ſeſe domeſtico confligens bello, vniuerſa deletur, quinque viris tãtùm exceptis, qui deinceps è prælio ſuperſtites, Cadmo ſocij condendæ vrbis extiterunt.

ENARRATIO.

Victor Agenorides dũ mortua mẽbra Draconis
  Aspicit, hos patulæ percipit aure sonos.
Cura sit anguinos (inquit) Tritonia dentes
  Spargere, mortales nam seges ista feret:
Obsequitur Cadmus monitis & vomere curuo
  Horrida diuulsæ semina mandat humo.
Viuida mox (mirùm) telluris gleba mouetur,
  E sulcis pariter ferrea spina micat.
Cristatæ surgunt galeæ, telisq; coruscant
  Corpora sanguineis: stat clypeata cohors.
Immittitq; grauem Cadmo fera turba timorem,
  Hostes qui contra pronus ad arma ruit.
Vnus at exclamat, ciuilibus aufuge bellis
  Cadme, nec in nostras incide quæso manus:
Extemplóque noui per vulnera mutua fratres
  Intereunt, bello gens inimica cadit.
Quinq; superstitibus, reliquos Mars deuorat omnes,
  Sic intestina cæde caterua perit.

ALLEGORIA.

Militibus quæ sit prima de stirpe propago,
  Quæ feritas animi fabula ritè docet:
Dentibus horrendi quia gens est nata Draconis
  Bellica, perpetuo membra cruore lauat.
Ferrea mens plerumque viros, qui castra sequũtur
  Occupat, ac cædis pectora nutrit amor.
A Sathana diri seritur discordia belli,
  Descendit summo pax generosa polo.

Actæon in Ceruum. III.



DIana, cùm in valle Gargaphiæ æstiuo tẽpore, assiduo venationis labore defatigata, se ad fontem perlueret, Actæon Aristæi & Autonoes filius, eundem locum petens, ad refrigerandum se & canes, quos exercuerat feras persequendo, in conspectum eiusdem Deæ incidit, qui ne hanc ipsam rem diuulgare possit in Ceruum ab ea conuersus est.

ENARRATIO.

DVm quōdam nemorū cultrix comitata puellis
  Pandebat timidis retia lata feris:
Et tandem nimio venatus fessa labore,
  Nuda volubilibus membra lauabat aquis:
Ecce nepos Cadmi nemorosis montibus errans,
  Frendentes canibus nixus agebat apros.
Intrans & liquidis rorantia fontibus antra,
  Cernebat comites pulchra Diana tuas.
Quæ tecum fluidis abstergunt corpora lymphis,
  (Forsitan hanc illi fata tulere viam)
Nudatas subitò terret præsentia Nymphas,
  Astantísque mouet visio tetra viri:
Spumanti pariter Titania feruet ab ira,
  Et venatori tristia fata struit.
Aspergitque comas illius, & vndique circum
  Perfundit tenui (percita) rore caput.
Mox celeris tincto surgunt duo cornua Cerui,
  Villósaque cutis vellera corpus habet.

ALLEGORIA.

Actæon hominem nobis designat inanem,
  Qui bona fortunæ blanda fugacis amat.
Quæ dum venatur, præstantia munera mentis
  Perdit, & in cerui membra redactus abit,
Qui syluis habitat, rabidóque libidinis æstu
  Sæuit, & incautum sæpè pererrat iter.
Sic quoque prauus homo, tenebris agitatur opacis,
  Dum ruit in laqueos hostis amare tuos.

Actæon

Actæon à propriis canibus discerpitur. V.



ACtæon à Diana in ceruum mutatus, syluas hincinde rationis adhuc compos vagabatur, sed voce destitutus humana, suspiriis modò dolorem & luctum innuebat, neque ad regna patris se recipere ausus erat, neque in syluis habitandi locum sibi tutum æstimabat. Dubius igitur cùm esset quid rerum ageret, eius canes gregatim in Dominum suum, pro fera habitum, irruentes, eum violentis morsibus discerpsere.

ENARRATIO.

CVm Semelen grauidam sentiret regia Iuno,
De Ioue, terribili mota furore, tumet.
Occultasq; parat presso sub pectore clades,
In miseram turpes præmeditata dolos:
Tincta sed vt lateat fucato causa colore,
Aspera se fulua nube Gabina tegit.
Et faciem ruga deformen crispat anili,
Pellicis hinc subitò splendida tecta subit.
Vtq; terunt longas ambæ sermonibus horas,
Postremò meminit callida Diua Iouis.
Fallaciq; mouet stultam ratione puellam,
Vno ne coeant ipsa Deusq; thoro:
Ni tantus talisq; domos accedat amator,
Qualis ad vxoris dulce cubile venit.
Continuò Semele petit hoc pro munere donum
A Ioue, sed voto fœmina læsa perit:
Nam Deus vt sæuo communit fulmine dextram,
Igne domus rapido protinus alta cadit.
Fœtus at insuitur (raptus genitricis ab aluo)
Perfectam femori tempus adusque Iouis.

ALLEGORIA.

Fabula demonstrat, quam sæpe libidinis æstus
Absumat multis corpus, & ossa voret.
Cæcus amor primò mira dulcedine pectus
Illinit, vt suauis decipit esca gulam:
Pocula sed tandem Dæmon austera propinat,
Ignis & horrendi fulmina miscet atrox.

Narcissus in florem. VII.



LIriope Nympha, ex amne Cesipho procreabat Narcissum, insigni forma iuuenem qui cùm Echo, aliásque multas contempsisset puellas, Nemesis vltrix fastidientium, ei amorẽ sui φιλαυτίαν dictum inspirauit, vt suiipsius flamma exureretur. Proinde cùm ex nimia aliquando venatione fatigatus, aquam è fonte hauritet, imaginem sui conspexit, & præ ardenti erga seipsum amore extabescens, vita priuatus est, & in florem sui nominis euasit.

ENARRATIO.

PRotulit æthereas Narcissum mater ad auras,
Cærula Liriope, flumine mixta viro.
Pulcher erat iuuenis, nec eo speciosier alter,
Quem sibi poscebat sæpe puella dari.
Huius amore perit sylua resonabilis Echo,
Hinc hodie tantùm voxq; sonusq; manet.
Ast omnes quoniam spernit Narcissus amantes,
Protinus immenso flagrat amore sui.
Nanq; diu trepidos agitans in retia ceruos
Languet, & ad fontis flumina pura sedet:
Pellere dumq; sitim cupit, & procumbit ad vndas,
Illius in liquidis forma relucet aquis.
Egregij vultus igitur correptus amore,
Splendida miratur corporis ora puer.
Ardet & intuitu, nutritq; cupidinis ignem,
Irrita dum Lymphis oscula figit amans.
Lumina sed tandem mors tabescentia claudit,
Nunc speciem crocei corpora floris habent.

ALLEGORIA.

Est hominis puer hîc Narcissus imago superbi,
Qui fastu nimio turgida corda gerit.
Ac præ se reliquos naso suspendit adunco,
Blanditurq;(nouo captus amore) sibi:
Sed propriè talem perdit dilectio formæ,
Huius & in florem corpus inane redit.
Ambitiosus honos, inflataq; gloria mundi
Interit, vt viridi quæ rosa floret agro.

Bacchi ſacra ſeu Triumphus. VIII.



PEntheus Echionis & Agaues filius, Tireſiæ vaticinium aſpernatus, cùm in aduentu Liberi patris, Thēbani hedera redimiti obuiam ei procederent, ſuos ire prohibet, & illud ſpectaculum omnino pro nihilo ducit, negans ex Semele Bācchum Deum eſſe procreatum. Illicò etiam famulis ſuis imperat, vt Liberum ad ſe vinctum attrahant, eidemque mortis diſcrimen intentat.

ENARRATIO.

Sacra dies aderat, qualem prædixerat antè
Tiresias vates, fœmina virq́; simul:
Prima Corymbiferi celebrantur festa Lyæi,
Hinc turbæ fremitus sydera celsa petit.
Cincta satellitibus proles Semeleia Bacchus
Cernitur, is magno cultus honore venit.
Tempora Pampineis paßim circundatus vuis,
Viuaces hederas crine nitente gerit:
Velatamq; manu pinum quatit inde racemis,
Non absunt dulci pocula plena vino.
Ad sacra concurrit titubanti poplite cœtus,
Vndique cùm strepitu plebs furiosa ruit.
Rex verò Pentheus spectacula vana perosus,
Mox sibi subiectos approperare, vetat.
Bacchica bis geniti prohibet lustrare Lyæi
Festa: Deo pariter tristia fata struit.
Namque ducem subitò famulis afferre potentem
Præcipit, & vinclis membra ligare iubet.

ALLEGORIA.

Bacchus adhuc hodie magno celebratur honore:
(Gentiles vini quem statuere Deum.)
Illius in mundo pars pleraque sacra frequentat,
Et colit hunc læto pectore vana cohors.
Dedita dum ventri calices exhaurit opimos,
Et sic immodico pondere corda grauat.
Concitat ebrietas insanos mente furores,
Bestia nanque nocens est temulentus homo.

Tyrrheni nautæ in Delphinos. IX.



Liber aliquando Naxum insulam petens, in Tyrrhenos incidit, á quibus propter eximiam formæ pulchritudinem captus, pro præda nauigio impósitus est. Qui vt vidit se non in Naxon, ad quam vehi pactionis ratione cupiebat: sed in aliam duci regionem, armamenta nauis in feras ac serpentes conuertit, quo prodigio Tyrrheni statim exterriti in pelagus se precipites dedere, ac in Delphinos mutati sunt.

ENARRATIO.

Formosa Liber specie Semeleia proles
  Instructa quondam naue receptus erat.
Vitigenæq; volens transire ad littora Naxi,
  Numinis occultat robora magna sui.
Postmodò cùm verrunt sudantes æquora nautæ,
  Protulit effricto talia verba sono:
Quid facitis? pupim cui vos appellitis oræ?
  Ad Naxon vobis est referenda ratis:
Nil aliud Proreus spondet per numina iurans,
  Sed citò diuersum tranat iniquus iter:
Tum Deus illudens fraudem, simulabat amaras
  Fundere se lachrymas, mœstaq; dicta dabat:
Quid me decipitis, naues quò ducitis? inquit,
  Non sunt hæc Naxi littora tuta meæ.
Ista loquente Deo, sub flumine cymba quiescit,
  Firmiter inq; sua ceu statione manet.
Mox etiam surgunt turpißima monstra ferarum,
  Quæ nautis pauido corda timore replent.
Hinc se præcipitant omnes in gurgitis vndas,
  Et Delphinorum membra timenda gerunt.

ALLEGORIA.

Nil humana valet fraus, nil astutia prorsus,
  Contra (quem fugiunt nulla piacla) Deum.
Si quis eum fallat, mergetur in æquore tandem,
  Et sua tartareis corpora tinget aquis:
Vt cùm Dæmonibus per sæcula cuncta resultet,
  Nec ludat posthac numina celsa Dei.

Pentheus à Bacchis discerpitur. X.



CVm rex Pentheus Bacchum denuò custodia clauderet, fores sua sponte patefactæ, & vincula manibus eius defluxerunt: Tum Rex in montem Citærona ad sacra se recepit, ibique Agauen matrem (quæ propter ipsius furorem animum à filio gerebat alienum, vnà cum sororibus adiuuantibus Ino & Autonoe) incitauit, vt eum sacra proterentem sua manu interimerent, cruentisque lacerarent morsibus.

ENARRATIO.

PErgit Echionides contemnere festa Lyæi,
Intentans ipsi funera mœsta Duci:
Nam Bacchum forma famuli, cui nomen Acates,
Captum tormentis excruciare iubet.
Hic autem vinclis euadit sponte solutis,
Protinus & manibus dura catena fluit.
Exurgens igitur Pentheus, inuisere sacra
Ipse cupit, tantos turba ciere sonos:
Montis in excelso ferit aurea sidera clamor
Culmine: Rex illic festa parata videt.
Conspicit hunc mater Bacchi furibunda sacerdos,
Quæ mox in gnati viscera prima ruit:
Vos etiam geminæ (conclamat) adeste sorores,
Frendens hic nobis est feriendus aper:
Haud mora, turba coit, dentes in Penthea figens,
Et lacerant miserum corpus adusq; necem.
Saucius exorat dignentur parcere membris,
Vulnere sed rabido dilaniatus, obit.

ALLEGORIA.

Ceu Rex à propriis, cum matre, sororibus, iste
Discerptus, lethi sæua pericla tulit:
Sic hodie mundi cæcos quicunque furores
Despiciunt, eadem pœna manere solet.
Vana voluptatis furibundáq; gaudia vulgi
Qui spernit, tutum non habet ille locum.
Aduersantur ei soror, & cum fratre parentes,
Impius at cultus quem iuuat omnis amat.

FINIS LIB. III.

OVIDII METAM. LIB. IIII.

Pyramus & Thysbe. I.



PYramus & Thysbe, tam forma quã ætate pares, cum contiguis habitarent ędibus per rimam parietis ſæpe colloquentes, amoris fundamenta iecerunt. Tandẽ etiam inter ſe pacti ſunt, vt matutino tẽpore ad monumentũ Nini Regis, ſub arbore Moro conuenirent. Cùm autem celerius Thyſbe ad deſtinatũ ſe reciperet locum, conſpectu Leęnę exterrita, abiecto amictu in ſyluam refugit: At fera à recenti præda ad fontem vicinum decurrens, veſtem virginis relictam ore cruento lacerauit.

ENARRATIO.

Pyramus & Thysbe duo formosißima quendã
Corpora contiguos incoluere lares.
Fixerat ex æquo flammata Cupidinis arcus
Pectora, parq; breui tempore creuit amor.
Inter eos tedæ quoq; iura sacrata coissent,
Legitimos patres at vetuere thoros.
Hinc magis atq; magis flagrans exæstuat ignis,
Amborum nutu dant monumenta suo.
Vocis iter paries præbet diffissus vtrinq;,
Pyramus hac, illac stare puella solet.
Inde notant tempus, quo linquere tecta parentum,
Custodesq; domus fallere (nocte) velint.
Pacta placent, abeunte die, prior inclyta Thysbe,
Arboris ad tumulum (quem statuere) venit.
Dum sedet ad fontem, trux aduolat ecce leæna,
Cæde noua, siccam depositura sitim.
Mox fugit, hac visa linquens velamina virgo,
Antraq; syluarum tristis opaca subit:
Interea vestem lea diripit ore cruento,
Hinc oritur miseræ causa dolenda necis.

ALLEGORIA.

Hæc illegitimo merces debetur amori,
Vincula coniugij sunt retinenda pij:
Quæ natis quoties cupiunt prohibere parentes,
In mala tum soboles deteriora ruit,
Principio thalamos Deus ipse sacrauit honestos,
Hostis at est Sathanas ordinis huius atrox.

Pyrami & Thysbes interitus. H.



POst Thysbes abitum, Pyramus ad locũ destinatum aliquanto ſerius veniens, amictum ſanguine conſperſum reperit. Exiſtimãs igitur eam à fera deuoratam, ſibimetipſi ſuo gladio mortem conſciſcit. Deinde Thysbe depoſito metu, ad eundem reuerſa locum, cum videret ſe cauſam necis adoleſcenti præbuiſſe, ne diutius in mœrore ſola exiſteret, eodẽ ferro ſe trãsfixit, quorum cruore morus arbor aſperſa albos ſuos fructus in ſanguineum colorem conuertit.

ENARRATIO.

DVm virgo nemorum cæco se condit in antro;
Pyramus ad fontem serius inde venit:
Puluere qui cernens vestigia fixa Leænæ,
Pallet, & attoniti signa pauoris habet.
Deinde videns Thysbes velamina tincta cruore
Vnica nox, inquit, funus vtrisq; feret.
Ipse nocens fateor, te te miseranda peremi,
Et querulo plures edit ab ore sonos:
Transfodit exuto tandem sua viscera ferro,
Ac lethi propria fert sibi damna manu.
Anxia dehinc virgo rediens, inquirit amantem,
Vt narret Pyramo cuncta pericla suo.
Ad fontem iuuenis sed vbi deforme cadauer,
Et pulsare solum membra cruenta, videt.
Mæsta gemens alto ducit suspiria corde,
Non ego, tristis ait sola superstes ero:
Sed tecum viuens, tecum quoque fata subibo,
Haud sine te posthac lux mihi læta datur.
Dixit, & ambrosios manibus lacerata capillos,
Sanguineo pectus perforat ense suum.

ALLEGORIA.

Depingit Sathanam, qui more Leonis oberrat,
Expandens rictus ista Leæna tibi.
Nam rabida quos fauce voret, perquirit vbiq;
Dirus, & incautos fraude latente capit:
Quosq; semel strinxit latro crudelis, ad Orcum
Deuc[illegible] æterna mortis vt ense cadant.

Veneris

Veneris cum Marte adulterium. III.



SOl poſtquam Martem olim cum Venere coëuntem cerneret, ad Vulcanum eius maritum hoc facinus detulit, qui ſupra modum indignatus, catenis tenuiſſimis, inſtar retium, cubile circumdedit, quibus Marrem cum Venere rem habentem ſic implicauit, vt alter ab altera diuelli nullo modo poſſet. Patefacto deinde cubiculo, ambos omnium Deorum oculis ſpectandos ſubiecit, & eorum malitiam apertè hoc pacto retexuit.

ENARRATIO.

Concubitũ Titan Veneris cũ Marte prehẽdẽs,
Vulcano retegit furta nefanda tori.
Ignipotens igitur graciles ex ære catenas,
Lumina quod poßit fallere limat opus.
Ingreßusq; citò thalamos circundata lecto,
Ferrea fallaci retia fraude locat.
Vt scandêre torum Mars & Cythereïa paratum,
In laqueos subitò corpora bina cadunt.
Amplexuq; suo strictis dum retibus hærent,
Impliciti superos conuocat ille Deos.
Spectatum veniunt omnes, vinclisq; iacere
Turpiter intortis membra ligata vident.
Irrisere Dei vetitos Mauortis amores,
Et fuit in toto fabula nota polo.

ALLEGORIA.

Hic superi possunt tibi designare potentes,
Quos impunè licet quodq; patrare scelus.
In delicta ruunt prono craßißima cursu,
Digna sed hos factis pœna nec vlla manet:
Plectitur ast tenuis quoties transcendere leges
Inscius, aut quauis conditione solet.
Et velut in tela quam texit aranea tygno,
Dependens superò paruula musca manet:
Grandior ast penetrat caßes & tuta recedit,
Sic humiles legum vincula stricta tenent.
Euadit foribus laxis hinc turba potentum,
Coruus abit, pœnas blanda columba luit.

Leucothea in virgam thuream. III.



VEnus propter adulterium ſuum, à Sole diuulgatum, ei Leucothoes, filiæ Orchami Achemeniæ principis & Eurynomes amorem immiſit, qui vt commodius ea potiretur, ſe in matris Eurynomes formam tranſmutauit. Cùm verò pater Orchamus eam vitiatam eſſe, indicio Clitiæ Solis amicæ cognouiſſet, filiam ſub terrã defodit, quę deinceps miſericordia Phœbi, in virgam ſeu arborem thuris eſt conuerſa.

ENARRATIO.

DVlcia Solis equi volucres dum pabula carpũt,
Et noctu reparant membra quiete sua.
Leucothoes intrat thalamos Hyperione natus,
Eurinome referens ora manusq; tuas:
Vt nocturna videt ducentes pensa puellas,
Gnate (ceu genitrix) oscula blanda dedit.
Pòst ait, hinc famulæ discedite quæso parumper,
Est de secretis nata monenda mihi,
Paruerant, Titan se mox manifestat, & inquit,
Candida præ reliquis, tu mihi virgo places:
Fallacisq; cito deponit imaginis vmbram,
Et fruitur vetito dulcis amore tori.
Diuulgat Clytiæ stuprum retegitq; parenti,
Gnatam telluri defodit ipse ferox:
Leucothoës casum Titan miseratus acerbum,
Præstitit vt flueret corpore thuris odor.

ALLEGORIA.

Effigiem gestat sæui Pater ille tyranni,
In iustos nimia qui feritate furit.
Mortis & ad rigidæ crudelia funera raptat
Hos, qui supplicium non meruere necis,
Sicut adhuc hodie tales reperire licebit,
Qui tormenta piis exitiosa parant.
Sed coram mundo quamuis videatur obire
Integer, ante tamen viuit is ora Dei,
Mors cuius de se diuinum spargit odorem,
Et benè virga velut florida thuris olet.

Salmacis & Hermaphroditus in vnum corpus. V.



HErmaphroditus Mercurij & Veneris filius, à Naiadibus Nymphis in monte Ida educatus, relictis earum ſedibus, ad fontem Salmacis & Nymphæ peruenit, eúmq; tandem ingreſſus, ſtatim complexibus Naiadis colligatus, nec antè ab ea dimiſſus eſt, quàm à Dis impetraſſet, vt in vnam eandémque ſpeciem ambo mutarentur, ita duobus coniunctis corporibus, Hermaphroditus tam maſculinum quàm fœmininum ſexum eſt adeptus.

ENARRATIO.

Mercurij puerum, Diua de Cypride natum,
Educat Idæo Naias alma specu.
Is verò postquam tria lustra peregit in antro,
Deseruit propria limina prisca domus.
Et Licij dubias stagni peruenit ad oras,
Quod viuus circum cespes vbique dabat.
Hunc vbi Nympha videt lucentis alumna paludis,
Ipsius illicitò gestit amore frui.
Ad me blande veni, thalamos ineamus eosdem
Protinus effatur: sed fugit inde puer.
Auolat ambiguus nunc huc, nunc voluitur illuc,
Cærula sed denso vimine Nympha latet.
Expectans tenerum, qui postquam prodit & vnda
Vestibus abiectis, mollia membra lauat:
Insilit extemplo nudúmq; prehendit & arctè
Stringit, & amplexu colla capútq; premit.
Iam meus es dicens, meus & sine fine manebis,
Hinc vnam speciem corpus vtrunq; tulit.

ALLEGORIA.

Exemplum docet hoc, peccandi semita quàm sit
Lubrica quàm fallax perditionis iter.
Heu lapsus facilis iuuenilibus euenit annis:
Nam puer à patria dum solet ire domo,
Externásque cupit petulans inuisere gentes,
In vasta mundi sæpe palude perit.

Iuno & tres furiæ. VI.



IVno (grauiter ferens, quòd Ino Cadmi filia, Bacchi nutrix ſororibus punitis, cum duobus remaneret liberis in vita, contemptrix numinis ſui) per Tenarum promontorium Peloponeſi inferorum ſequens iter, ad Erinnes vltrices impiorum deſcendit, & vnam è furiis nomine Theſiphonem excitauit, eidémque adiunctis tam precibus quàm minis ſeriò inſtitit, vt Athamanta regem Thebarum vnà cum Ino coniuge, aduerſarios numinis ſui, vlciſceretur, cuius imperium Dea Tartarea ſtatim expediuit.

ENARRATIO.

INuidia Thebano fraudes Saturnia Regi
  Vxorique necis tristia fata struit:
Haud mora, descēdens adit horrida regna Tyrāni,
  Et gressum stygias flectit ad vsq; lacus.
Hîc locus est passim nigris amplissimus vmbris,
  Quem premit aeternos nox tenebrosa dies.
Hoc millena volant animarum millia tractu,
  Quae scelerum poenas, vt meruêre, luunt.
Haec simul intrauit funesta palatia Iuno,
  Tergeminus latrat Cerberus ante fores.
Eumenides etiam resident in limine primo,
  Anguibus intortas quae plicuêre comas:
Cernitur hîc Tytion vultur cui viscera tundit,
  Tantalus & è mediis quem sitis vrget aquis:
Cernitur Ixion, haustis & Belides vndis,
  Sisyphus &/ saxum qui sine fine rotat.
Hunc Dea contemplans, cur hîc de fratribus vnus
  Tanta poenarum molle grauatur? ait:
Est Athamas diues, qui méque Iouémq; superbus
  Despicit, hîc merito discruciandus erat.
Huic igitur (Furiae) rabiosam reddite mentem,
  Dixit, & ad caeli tecta superna redit.

ALLEGORIA.

Eumenides tibi tres, tria maxima crimina pādūt,
  Quae sunt Liuor edax, caecus & ardor opum,
Atq; voluptatis (monstrum deforme) cupido,
  Hinc homo Tartarei fertur ad ima maris.

Athamas & Ino ad furorem incitantur. VII.



TIsiphone vna ex Eumenidibus Iunonis imperio parens, relicta Ditis regia, sese ad superos recepit. Quæ postquam ad aulam Athamantis peruenit, in sinum eius, & coniugis horribiles angues, & virus effudit, quibus animi eorum corporibus haud infectis, grauissimè sunt læsi, tantóque furore perciti, vt sensus amborum prorsus à pristinis moribus alienati fuerint, & ipsi tandem vnà cum liberis, miserrimos cruciatus pertulerint.

ENARRATIO.

IVnonis precibus subitò parebat Erinnys,
Veste cruentata liuida membra tegens:
Tabificóque facem gestabat sanguine tinctam,
Intorto nigras angue recincta comas,
Hanc comitabatur luctus, vecordia, terror,
Aeolias peteret cùm furibunda fores.
Protinus ast Athamas viso cum coniuge monstro,
Pallet, & ipsa metu linquere tecta cupit:
Cui fera Tisiphone partes obsistit in omnes,
Elabi manibus fœmina, Réx ue nequit.
Crinibus inde quatit colubros (qui sibila torquent,
Pestiferóque nocens virus ab ore vomunt.)
Coniugibus pariter binos immittit Erynnis,
Amplexu circum qui cito colla dabant,
Vulnere membra carent, animus sed percipit, ictus,
Saucia mens rabido plena furore tumet.
Nam Dea lethales spumas & virus Echidne,
Errorésque vagos, vímque scelusq; tulit.
Coxit & hæc olla mixto versata veneno,
Fudit in ipsorum quæ furibunda caput.

ALLEGORIA.

Aspice quàm Sathanæ gliscat truculenta potestas,
Quàm sæuis homines concitet ille modis:
Hortatu cuius turpissima quæque sequuntur
Crimina mortales, et mala multa patrant.
Hinc furor, ambitio, fastus, contentio, cædes,
Hinc amor illicitus, furta dolúsque fluunt.

Athamas furens Learchum filium interficit. VIII.



Athamas à Tisiphone Dea infernali vnà cum vxore ad insaniam redactus, Learchũ filium suum, quasi in venatione pro fera interficit. Ino autem Melicertam filiũ è scopulo secum in profundum æquor præcipitauit: Qui Veneris precibus pro nepote factis, à Neptuno pelagi rectore, in Deorum cessère numerum, ita vt Melicerta Palæmon, & Ino Leucothoe inter maximos Deos nuncuparentur: Comites verò Inus partim lapides partim volucres euasere.

ENARRATIO.

PRotinus Aeolides furiis agitatus in aula,
Exclamat, Socij pandite lina citi,
Vtq; feram sequitur celeri vestigia cursu,
Coniugis (ardenti cadus amore) suæ.
De matrisq; sinu sobolem pater arripit amens,
Ipsius & funda brachia more rotat.
Denique mentis inops dilecti membra Learchi,
Contundit saxo sparsa cruore rudi:
Exululat subitò furiis quoque percita mater,
Aufugit, & secum te Melicerta rapit:
Séque freti scopulo præceps demittit in vndas,
Et cum prole cauo gurgite mersa iacet.
Sed Venus exorat precibus Dea numen aquarum,
Addat vt æquoreis corpora bina Diis,
Sidoniæ comites Dominam per saxa secutæ,
Huius vt aspiciunt fata dolenda gemunt:
Ac se prima mari iactu mersura profundo,
Attingit scopulum, fitq; repentè lapis.
Horrida post etiam plures in saxa reuersæ,
Cætera pars volucres ad freta salsa volant.

ALLEGORIA.

Sic Athamas consórsque tori periere nefando
Funere, quod fastu conciliâre suo:
Heu quoties hodie turpes conuertit in vsus,
Munera læta meri perniciosus homo,
Proculcátque Dei largißima dona superbus,
Huic olim quatiet pœna cruenta caput,

Cadmus & Hermione in Dracones. IX.



CAdmus Agenoris filius, variis ſuorum calamitatibus & infortuniis vexatus, Thebarum ſedem peroſus, vnà cum Hermione, Martis & Veneris filia, coniuge ſua, inde receſſit, ſéque in Illyriam cōtulit, vbi cum vxore á Diis in ſpeciem Draconis conuertebatur, qui ambo deinceps in ſyluarum latebra repſere, & memores adhuc humanæ formæ ab hominibus lædendis abſtinuerunt.

ENARRATIO.

Moestus Agenorides immania fata retractans
Anxia luctifico corda dolore grauat.
Illyricósque petit querula cum coniuge fines,
Et dubio secum pectore multa putat:
Fortè draco sacer iste fuit, quem fontis ad oras
Transfodi propria cuspide, Cadmus ait:
Si me propterea premit horrida Numinis ira,
Muter vt in colubrum supplice voce precor.
Protinus in longam corpus distenditur aluum.
Et squamas recipit tergore dura cutis.
Brachia dum restant, miserum me tange maritum
(O coniux, inquit Cadmus) & ora rigat.
Dicere plura cupit, sed vox abrumpitur omnis,
Fit Draco qui tenui sibila voce sonat,
Cadme quid hoc, vxor quærit, cur induis anguem?
O vtinam similis me quoque forma tegat.
Hæc vbi dicta, suæ mox coniugis ora maritus
Lambit, & amplexu suauia colla petit.
Hinc fiunt gemini citò fœmina virque dracones,
Et nemorum frutices corpora iuncta colunt.

ALLEGORIA.

Exemplum vobis Cadmus proponit eorum,
Quos à principio prospera fata manent,
Donec agunt iustè, sed cùm de calle recedunt
Virtutis, capiti noxia damna struunt.
Peruersos sequitur sors infaustissima mores,
Et fabricat casus quilibet ipse suos:

Atlas in montem ſui nominis conuerſus. X.



ATlas Rex Mauritaniæ, Iapet & Peleiones (ſeu vt quidam volunt) Clymones filius à Themide, quæ initio Antiſtes Deorum erat, reſponſum accepit, ne quem hoſpitio ex progenie Iouis ſuſciperet, ſi modò vellet hortum, in quo poma erant aurea, ſaluum & integrum retinere. Cùm igitur eam ob cauſam Perſeo, ex aſſiduo curſu defatigato, requieſcendi apud ſe locũ denegaſſet, is prolatum ei caput Gorgonis obiecit, quo viſo Atlas in montem eiuſdem nominis eſt tranſmutatus.

ENARRATIO.

Actus Abantiades discordibus æthera ventis
Dum tranat, cancri brachia curua vidıt.
Desuper hinc altis defigit lumina terris,
Atque super mundi pulchra theatra volat:
Iamque cadente die non ausus fidere nocti,
Protinus Athlantis regna superba petit:
Poscit & hospitium roseis aurora capillis,
Fulgeat in madido dum rubicunda polo.
Sollicitis addit precibus quoque stemmata gentis,
Sed nil vota iuuant, nil & origo valet.
Sors etenim regi manet alta mente reposta,
Olim fatidico quàm Themis ore dabat.
(Tempus Athla veniet, fuluo tua poma metallo
Cùm rapiet proles vi petulante Iouis.)
Hæc metuens Athlas, furibundis Persea verbis
Increpat, éque domo pellere tentat atrox:
Gorgonis extemplò squalentia protulit ora
Perseus, & regi conspicienda dedit.
Cuius membra meant in aprica cacumina montis,
Crescit & in densum barba comaq; nemus.

ALLEGORIA.

Fabula praduros homines Athlantis adumbrat,
Quorum terrenus pectora stringit amor.
Hi tandem fiunt lapidoso vertice montes,
Quos super incumbit machina celsa poli.
Sic etenim curis sine fine grauantur auari,
Totius vt mundi ferre putentur onus.

Per-

Perseus Andromedam liberat. XI.



PErseus per Aethiopiam iter faciens, postquam Andromedam propter superbiam matris quæ se Nereidum Nympharũ pulchritudini prætulerat, saxo alligatam, ac marinæ beluæ obiectã vidit, captus specie eius exarsit. Faciens igitur pactionẽ cum Cepheo, Iasi filio, Æthiopum rege, & Cassiopea parẽtibus virginis, vt si beluam interemisset, ea sibi matrimonio traderetur, confestim draconem telis suis transfodit, & hac ratione puellam est adeptus.

ENARRATIO.

PEnnifer Inachides Cepheia prospicit arua,
  Dum liquido pernix æthere carpit iter,
Illic Andromeden forma præstante puellam,
  (Cuius erant scopulo brachia fixa) videt.
Solueret vt pœnas monstris obiecta marinis
  Filia, quas matris lingua proterua tulit:
Hac ita conspecta, cæcos trahit inscius ignes,
  Virginis atque animo fata stupenda dolet.
Pande mihi, dicit, noménq; genúsque puella,
  Curq; liget corpus dura catena tuum.
Huic dum respondet, tumidum mox insonat æquor,
  Eminet éque sinu bellua dira maris.
Territa virgo vocat lugubri voce parentes,
  Illachrymans mater, cum genitore venit.
Hanc mihi si Perseus thalamo coniungitis, inquit,
  Bellua victrici corruet ista manu.
Quod cùm promisit genitor, celer æthera findens
  Penniger, in monstrum noxia tela iacit,
Illius & crebro transfigit viscera ferro,
  Et sic Andromeden præmia victor habet.

ALLEGORIA.

Sit verus Perseus Christus, per robora cuius
  Lethali Dæmon vulnere pressus obit:
Hîc quoque matris Euæ nos ob cõmissa ligatos
  Eripuit, frangens ferrea vincla necis:
Æternóque sibi nos desponsauit amore,
  Qui gerimus cœtus nomina vera sui.

Crines Medusæ in angues. XII.



Medusa Gorgo Phorci filia, cum propter pulchritudinem à pluribus peteretur, cõiugium Neptuni effugere non potuit. Hæc quia in templo Mineruę cum ipso concubuit ob loci profanationem, ipsius crines in serpentes sunt mutati, quos quicunque deinceps aspexerat, in saxum conuersus est. Perseus igitur ei dormienti tectus scuto Palladis caput abscidit, post insidens Pegaso, quem ex Neptuno Medusa peperit, in varias hinc inde regiones auectus est.

ENARRATIO.

Gorgoneæ quondam gelido sub Atlante sorores
Præcinctum muris incoluere locum.
Ex his præcipuè speciosa fronte Medusa,
Et niueo capitis crine superba, fuit.
Hanc adamat Pelagi rector, violátque coactam
Turpiter, & sacra Palladis æde premit.
Hinc Dea confestim tortos mutauit in angues
Virginis insignes sanguinolenta comas.
Anguibus implexos qui conspexere capillos,
In silices cuncti post abiere rudes.
Saxea cùm Perseus paßim simulacra videret,
Est etiam vetitas ausus adire domos.
Palladis ast intrans clypei munimine tutus,
Obruta Gorgoneæ membra sopore videt.
Insomnis igitur resecat fera colla Medusæ,
Et secum penna præpete raptat equum.
Per freta, per terras, vectúsque per æthera, cuius
Præsidio nimium fortia facta gerit.

ALLEGORIA.

Phorcidos ora tibi crinita draconibus atris,
Horrida presterum colla capútque notant,
Qui populos olim letho mersere profundo,
Horum dum caderet vulnere densa cohors.
Sic & adhuc hodie Sathanas abrumpere vitam
Pluribus, & lucis fila secare solet:
Ast huic cœlestis caput à ceruice reuulsit
Perseus, vnde piis nulla venena nocent.

FINIS LIB. IIII.

OVIDII METAM. LIB. V.

Pugna in nuptiis Perſei orta. I.



CVm Perſeus Andromedē interfecta bellua periculo mortis liberaſſet, Pater, prout antè promiſerat, ipſi filiam in matrimonium tradidit. Celebratis igitur nuptiis, multi principes regalibus epulis interfuere. Phineus autem Cephei frater, cui Andromeda prius deſponſata erat, contumelia ſe affectum putās, quòd aduenæ conſanguineus eſſet poſtpoſitus inter conuiuādum horribilem tumultum excitauit, in quo ex vtraque parte plurimi ſunt interfecti.

ENARRATIO.

ERipuit postquam medio discrimine mortis
Andromeden Perseus dona petita tulit.
Coniugióque pater lætus genitríxque puellam
Polliciti memores spontè dedêre viro:
Iámque dies aderat regali splendida festo,
Præcipit & tædas connubialis amor.
Continuò largis cumulatur odoribus aula,
Organa dant cantus, tibia, plectra, lyræ.
Regia tota nitet pulchro constructa paratu,
Accedunt procerum copia multa dapes.
Et læti celebrant primò conuiuia cuncti,
Postmodò sed cæcus corda tumultus agit.
Atria complentur fremitu, clamórque furores
Excitat horrendos, ensis & arma sonant:
Insurgit Phineus pugnæ temerarius autor,
Et sibi præreptæ coniugis vltor adest.
Non tulit hæc Perseus, reprimens audacia fratris
Cœpta, ferox omnis pòst capit arma cohors.
Conuiuæ pariter cuncti fera prælia miscent,
Plurima vulneribus pars & vtrinque cadit.

MORALE.

Dulcia sic tristi turbantur gaudia fine
Sæpius, & lætus fert quoque mæsta dies.
Inde fit vt rarò par sit fortuna labori,
Nec benè qui meruit præmia semper habet.
Sustinet inuidiam virtus, & gloria recti,
Dum captat primum vis inimica locum.

Phineus, eiusque socij in saxum. II.



CVm inter conuiuas horrendũ in regia prælium agitaretur, & multi ex vtraque parte armis, quibus eos casus obtulit, caderent, nouissimè Perseus aduersariorum ingentem pertimescens multitudinem, mandabat suis, vt è cõspectu ipsius discederent, capútque Gorgonis extulit, quo viso, Phineus cum omnibus suis sociis auxiliantibus, in saxum conuersus est, itaque dignas, velut harum turbarum autor, pœnas persoluit.


ENARRATIO.

EFfera sanguineo peraguntur prælia fato,
Parte nec exilis cœtus vtraque perit.
Nam planè Phineus perstans furibundus in armis,
Persea cum sociis exanimare cupit:
Hic igitur postquam vidit succumbere turbas,
Præsidium cur non, inquit, ab hoste petam?
Si quis amicus adest, oculos auertite vestros,
O socij, virus ne medicina ferat.
Dixerat: horrendæ pòst Gorgonis extulit ora,
Quæ dedit iratis aspicienda viris.
Illorum manibus dum tela cruenta retorquent,
Arida summoto membra calore rigent.
Ossa gelu torpent, simulacráque saxea fiunt
Corpora, quæ veluti marmora fixa manent.
Quæ dum sic cernit Phineus immota, suorum
Agnoscit species, & sibi poscit opem.
Diriguere viri, quorum citò corpora tangit
Dux ferus, at rigidum corpora marmor erant.
Hic igitur supplex orat, culpámque fatetur,
Et trepida veniam Persea mente petit.
Sed nil vota iuuant, precibus nihil impetrat istis,
Saxea fit duri corpus imago viri.

MORALE.

Prælia delectant si quos truculentia Martis,
Pectora vel saxis asperiora gerunt:
Quàm fuit horrendus, sæuos qui repperit enses?
Durius huic solido cor adamante fuit.

Pallas & Sorores ad Helicona. III.



NArratio noua ſequitur: quēadmodum Pegaſus equus alatus,(de quo ſuperius auditum eſt)è ſanguine colli Meduſæ exiliēs ad Heliconem Bœotiæ montem peruenerit, vbi cùm terram pedis vngula percuſſiſſet,illicò fons (qui ἱπποκρήνη, hoc eſt, Caballinus fons eſt appellatus)exortus fuiſſe memoratur. Ad eum igitur videndum,relicto Perſeo, Pallas profecta eſt,quæ à Muſis ſingulari cum humanitate quam promptiſſimè ad ipſum fuit deducta.

ENARRATIO.

Virgineum iunctis Helicona sororibus olim,
Visendi studio sacra Minerua petit.
Pegasus hic fontem fertur fecisse crepantem,
Vngula dum mollem vertice pulsat humum.
Excipit Vranie primò lætissima Diuam:
Ostendens fontis quæ sit origo noui.
Hæc mirata sacros latices, lucósque virentes,
Inde voluptatum gaudia mille capit.

ALLEGORIA.

Mons erat hic Phœbo, Musisq; dicatus amœnis,
Secessus etenim vir studiosus amat:
Et ne vulgus eum, nec amara negocia turbent,
Secretum studiis eligit ipse locum.
Vtq; Meduseus conscendit ad ætheris auras,
Ardua sic doctus mente volutat homo.
Fama nouem memorat Musas Heliconis alumnas,
Eximium Clio nomen honoris habet.
Dicitur Euterpe quod nos oblectet amata,
Nomen de nitido flore Thalia gerit:
Melpomene dulcem designat carmine cantum,
Maxima Terpsichore gaudia ferre solet.
Sic Erato gratos, sonitúsque Polymnia suaues
Reddit, & ad cælos nos leuat Vrania:
Calliope formosa sonat, dum mira venustas
Conspicitur doctis, semper inesse viris.
Nam quia Musarum mores imitantur honestos,
Hinc immortalis præmia laudis habent.

Musæ in aues. IIII.



MVsæ cùm montem Parnasium peterent, aduersis tempestatibus inuitatæ à Pyreneo (qui Thrax fuit Tyrannus, & Daulida Phocidis vrbem vi occupauit) tecta eius subierunt qui pulchritudine captus virginum, clausis foribus illis vim afferre conabatur. Sed Musæ in aues conuersæ euolarũt, quas cum persequi Pyreneus vellet, ex arce se præcipiti saltu deiecit, capútque terræ illidens, vita continuò defunctus est.

ENARRATIO.

VNanimes Musæ Parnasi templa petebant,
 Cùm flueret largis æthere nimbus aquis.
Quas vbi Threicius rabida feritate Pyreneus
 Aspicit, illarum numina sancta colit.
Dissimulátq; malas fucato pectore fraudes,
 Mæonides: dicens, tecta subite mea,
Dum fera tempestas & sæuus desinat imber,
 (Intrârunt humiles Numina sæpe casas.)
Protinus Aoniæ subeunt domicilia regis,
 Discussísq; polo nubibus ire parant:
Ast immansuetus claudit sua tecta Tyrannus,
 Virgineúmq; cupit vi superare chorum.
Auolat assumptis cœtus perniciter alis,
 Rex sequitur cursu præcipitante ferox.
Séq; citò turris de culmine deiicit alto,
 Cuius ab effuso vita cruore fugit.

ALLEGORIA.

Pellacem Sathanã Thrax exprimit iste Tyrãnus,
 Aggreditur varia qui ratione pios.
Horribilis quoties impendit ab axe procella,
 Iámq; fores pulsant tetra pericla crucis:
Hic nos inuitans requiem promittit amœnam,
 Et vetat inceptum ne peragamus iter.
Templa nec æterni quæramus vt ardua montis
 Concedit, firmas obserat inde fores.
Carcere sed clauso iustos Deus eripit omnes,
 Efferus immani morte Tyrannus obit.

Venus, Cupido, Pluto. V.



VEnus molesto ferens animo, quòd & Diana, & Proserpina Cereris filia, numen suũ coniugiique fœdera despicatui ducerent, Ditem (qui territus viribus Typhonis Ætnam mouentis, cui à Diis subiectus erat, ab inferis eruperat) per Cupidinem filium suum commouit, vti Proserpinam amore eius incensus, circa Ætnam montem flores, vnà cum Minerua atque Diana legentem, raperet, eandémque secum ad Orcum curru impositam auchèret.

ENARRATIO.

SIc olim natum Venus est affata volucrem,
O soboles nunquam non adamata mihi:
Arcum tende tuum, celeres impone sagittas,
(Numina nam telis victa domare potes.)
Inq; Dei pectus stygij fera spicula torque,
Nil laudis nostri fœdus amoris habet:
Nos inupta quidem Pallas Dianaq; spernit,
Et proles Cereris virgo manere cupit.
Hanc igitur patruo Plutoni iunge puellam,
Illius & cæco vulnere corda feri.
Sic ait: inde puer matris citò iussa capeßit,
Ditis et in pectus missa sagitta volat.
Hinc petitur stygio coniux Proserpina regi,
Formosæq; Deum virginis vrit amor.

ALLEGORIA.

Hic Venus & mira depingitur arte Cupido,
Qui puer imperium totius orbis habet:
Omnibus (in terris) vigor est innatus amandi,
Aliger in pecudes & sua tela iacit.
Colligit humanum genus hic conseruat & auget,
Legitimo saltem iure paretur amor.
Ergò naturæ ductum non tollere fas est,
Fœdera sacrati sunt veneranda tori.
Nemo quidem castam poterit traducere vitam,
Ni regat hunc constans æthereusq; pudor.
Viribus in nostris non est sita tanta potestas,
Id solum supera munus ab arce venit.

Pluto rapit Proſerpinam. VI.



CVm Proſerpina circa Ætnam montem flores, vnà cum Minerua atque Diana legeret, Pluton ipſam amore inflammatus ſurripuit, plauſtro autem rapidiſſimo eam vehens: à Cyane nympha, quam dilexerat Anapus amnis, intercedente retardatus eſt. Incenſus igitur ira Deus infernalis, ſceptro terram percuſſit, qua ſtatim adaperta, celerrimo curſu ad inferos cum amica deuectus eſt. Cyanen verò in ſtagnum ſui nominis transmutauit.

ENARRATIO.

Haud procul Aetneo lacus est à mõte profũdus
Cantus quo dulces plurimus edit olor.
Hoc itidem stagnum pulcherrima sylua coronat,
Graminea florum copia surgit humo.
Hîc suaues postquam violas Proserpina carpit,
Et luco paßim lilia grata legit.
Virginis accelerat Pluto vesanus amore,
Inq́; nemus curru praecipitante ruit:
Atque locat plaustro Cereris de sanguine natam,
Infernas repetens (venerat vnde) domos.
Illa vocat comites, matrémq; miserrima poscit
Auxilium, stimulat sed Deus acer equos.
Et currus agitat celeres, precibúsq; mouetur.
Nil Cyanes, tellus ista recludit equos.
Inde viam Pluto pernix ad tartara sumit,
Et sua cum rapta coniuge regna subit.

ALLEGORIA.

Dicitur alma Ceres messem reperisse benignam,
Filia cui magno de Ioue nata fuit:
Sed per eam rectè teneras intellige fruges,
Dulcia quae vitae sunt alimenta tuae.
Has pleno captant locuples & auarus hiatu,
(Tristia Plutonis qui simulacra gerunt.)
Pauperibus quoniam Cereris pia munera raptant,
Quando fames terras exitiosa premit,
Et sua frumentum spaciosa sub horrea condant,
Saepe dat his inopi tempore faenus opes.

Ceres

Ceres quærit filiam. VII.



CEres per vniuersum orbem, filiam Proserpinam requirens, ad casam tandem cuiusdam anus deuenit, à qua æstu torrida sibi aquam ad colluendum os postulauit. Hæc igitur cùm potionem polenta commixtam ei daret, ipsáque Ceres auidius biberet, à puero quodam derisa est, quem subitò Dea in Stellionem conuertit. Deinde cùm à Nympha Arethusa percepisset, filiam à Dite raptam, à Ioue impetrauit, vt alteram anni partem cum marito inferius, alteram verò cum matre supra terram Proserpina degeret.

ENARRATIO.

QVæritur interea pauidæ Proserpina matri,
Vndiq; per terras, per vada cuncta maris:
Solis ad occasum, Solis decurrit ab ortu,
Contrahit & siccam fessa labore sitim.
Fortè casam viti contectam stramine cernens,
Aduolat & gelidæ munera poscit aquæ.
Prodit anus, Cererémq; videt, cui dulce polenta
Porrigit, at mustum dum bibit illa datum,
Ecce puer Diuam risu deludit inani,
Illius aspergit membra liquore Ceres:
Concipit os maculas, fit paruula bestia corpus,
A stellis variis stellio nomen habens.
Sed genitrix pergit dilectam quærere natam,
Hanc Arethusa refert Ditis inesse domo.
Ergò Iouis supplex implorat numina mater,
Et pro communi pignora vota facit.
Scilicet vt supera Proserpina luce fruatur,
Altera pars voti ceu rata, pondus habet:
Nam mediũ cum matre Deam iubet esse per annũ
Sex verò menses regna videre Stygis.

ALLEGORIA.

Errantem regina refert Proserpina Lunam,
Sidera perlustrat quæ duodena poli.
Sex crescit menses, sex deficit illa quotannis,
Et mutat vultus ora subinde sui:
Nam quoties crescit, superas se tollit ad auras,
Postmodò deficiens infera regna colit.

Arethusa ab Alpheo amata in fontem. VIII.



ARethusa Achaidum Nympharum formosissima, venatrix, ac Dianæ comes fuit: quæ cùm fortè in Alpheo flumine lauaret, ita ab eodem amne diligebatur, vt is amore eius vehementissimè inflammatus, sumpta viri forma, virginem cursu velocissimo prosequeretur. Hæc autem persequentis impetum effugere conata, Dianam implorabat, vt laborãti ferret auxilium, quæ ab ea in fontem sui nominis conuersa, primò per loca subterranea se diffudit, post ad superos fuit euocata.

ENARRATIO.

VEnatrix olim syluis Arethusa libenter,
Montiuagis posuit retia torta feris.
Cúmq; nimis creber Nymphæ labor attulit æstum,
Illius & toto corpore sudor iit,
Protinus in latices virgo se coniicit altos;
Nudáq; perspicuo flumine membra lauat.
Emicat hac visa liquidis Alphæus ab vndis,
Quo properas? inquit, siste Arethusa gradum:
Aufugit extemplò perterrita virgo, columba
Accipitrem penna ceu trepidante fugit.
Insequitur iuuenis per concaua saxa puellam,
Per montes, valles & loca plana volans.
Nympha labore fugæ tandem defessa, Dianam
Inuocat, ô facilem fer Dea (clamat) opem.
Confestim virgo nebulis obducitur atris,
Nec magis Alphæo conspicienda datur.
Hanc tamen ignarus per nubila densa requirit,
In latices donec membra soluta fluunt:
Principio cæcis quæ sunt immersa cauernis,
Post velut è stygio mox reuocata lacu.

ALLEGORIA.

Casta Diana docet, qua sit bonitate supremus
In cunctos, peragunt qui sua iussa, Deus:
Si premat innocuum Sathanæ violenta tyrannis,
Sobrius ad Christum corda manúsque leuet.
Protegit alarum nebulis Saluator & vmbra
Insontes: hostis vímque minásque fugat.

Lyncus in lyncem. IX.



Ceres olim recepta filia, Athenas aduolauit, currúmque à draconibus alatis vectũ Triptolemo Celei & Deiopes filio dono dedit, vt is frumenti vſum & agriculturam mortales doceret. Qui cùm in Scythian vſque perueniſſet, à Lynco Rege hoſpitio acceptus : in extremo mortis diſcrimine verſabatur: Lyncus enim cum aduentus cauſam intelligeret, Triptolemum ſomno grauatum extinguere molitus eſt, quamobrẽ Ceres regem in lynca feram commutauit.

ENARRATIO.

Adiūgit plaustro geminos Ceres alma dracones,
Et longum cælo vecta pererrat iter.
Triptolemo tandem currum transmittit Athenas,
Semina quem pingui spargere mandat humo,
Fœcundas pariter segetes ostendere mundo,
Hîc diuersa citò regna locósque petit.
Pòst iter immēsum Scythicis quoque redditur oris,
Rex vbi Lyncus erat, limina regis adit.
Aduentus causam nomen cum stemmate pandens,
Accipit hunc tristi barbarus hospitio.
Nocte volens ferro stertentis figere pectus,
Liberat ast iuuenem mitis ab ense Dea.
Et mox Lynca facit maculoso tegmine regem,
Vt nemorum posthac incolat antra fugax.

ALLEGORIA.

Triptolemus fidos designat in orbe ministros,
Quos Deus extremos vult peragrare locos:
Scilicet vt spargant diuini semina verbi,
Vnde cibum vitæ, turba fidelis habet.
Ferre sed hoc nequeunt rabiosa mente Tyranni,
Retia dum tendunt his inimica necis,
At Deus è medio pestis discrimine seruos
Eripit, immensa pro bonitate suos.
Lyncas & in trepidas reges conuertit atroces,
Quos vitæ dubios territat aura leuis.
Tunc alios ipsi quoniam petiêre sagittis,
Confixi iaculis in sua fata ruunt.

FINIS LIB. V.

OVIDII METAM. LIB. VI.

Niobe cum filiis interimitur. I.



NIobe Tantali filia, propter insolentiam suam Phœbi ac Dianæ potentiam experta est: Cùm enim Thebani omnes Latonæ sacrificarent, sola est innenta Niobe cum septem suis filiis totidémque puellis, quę numen prædictæ Deæ aspernabatur. Apollo igitur & Diana Thebas venientes, vniuersos Niobes liberos sagittis transfoderunt: hinc pater Amphiō præ nimio dolore sibi mortem consciuit, ipsa autem mater mœrore confecta, in silicem tandem transmutata est.

ENARRATIO.

Latonæ iussu cumulant altaria donis.
Thebaides faciunt & pia vota Deæ.
Implicita velant pariter sua tempora lauro,
(Ceu fata Tiresia vaticinata fuit.)
Ecce puellarum Niobe stipata caterua,
Protinus aurata veste superba venit:
Constitit atq; oculos nunc huc,nunc dirigit illuc,
Quis furor exclamat numina ficta colit?
Cur ego non tanto ditißima dignor honore?
Et mea muneribus cur vacat ara suis?
Sic fatur generis clarißima stemmata iactans,
Et coluisse Deam viq; minisq; vetat.
Hæc Latona refert Phœbo pariterq; Dianæ,
Auxiliumq; sibi numina ferre cupit:
Vtraq; mox proles Thebarum mœnia poscit,
Vltriciq; gerit noxia tela manu.
Figuntur septem nati,totidemq; puellæ,
Amphionq; suo turpiter ense cadit.
Post Niobe scopuli recipit Sipyleia formam,
Sic gens immiti cæde nefanda perit.

ALLEGORIA.

Conciliat miseras ventosa superbia clades,
Magnáq; supplicij pondera fastus habet.
Cum natis Niobe sentit lachrymabile fatum,
Rex etiam propria fert sibi damna manu.
Sic hominum rebus mens est inflata,secundis,
Nescia quid secum vespera sera vehat.

Agreſtes Lycij in Ranas. II.



LAtona Cæi filia, cùm Iunonis odio, gemellos ſuos Apollinem & Dianā ex Ioue cōceptos, difficulter parere poſſet, nulláque regio errantem acciperet, tandē edito partu in Liciā venit, & ardore æſtus ac longitudine viæ ſitim ſedare cupiens, à ruſticis, qui vluam & iuncum propè lacum colligebant, propius accedere, & aquam haurire prohibita eſt. Quamobrem accenſa ita petiit à Diis, vt Agricolæ ſtagno nunquam carerent, quod ſtatim accidit, ruſticóſque omnes Iupiter in Ranas transfigurauit.

ENARRATIO.

Candida dũ varias gentes Latona pererrat,
Iunonis patrio numine pulsa solo:
Accedit Lycias multo sudore paludes,
Feruida cum Solis finderet arua calor.
Quos tulerat ponit teneros defessa gemellos,
Vrentem lymphis depositura sitim.
Rustica turba negat haustum (nam fortè legebant
Illic cum iuncis flexile vimen opus.)
Dura petit siccis gelidas modò faucibus vndas,
Potus aquæ fuerit nectaris instar, ait:
Arida dum loquitur molli quoq; lingua palato,
Hæret, & exsiccat guttur anhela sitis:
Attamen agrestes iterúmq; iterúmq; rogati,
Latonæ prohibent vel tetigisse lacum.
Quin liquidam pedibus turbant manibusq; paludẽ
Optatis tantùm ne potiatur aquis.
Ira sitim differt, numen mox Diua precatur,
Vt semper latices tetrica turba colat.
Succedit votum, ranæque videntur in vndis
Agricolæ, stagnum quos coluisse iuuat.

ALLEGORIA.

Rana velut limo gaudet, ripisq; resultat
Et rauca gelidis voce coaxat aquis:
Rustica non aliter plebs incolit vsq; tabernas,
Et crebro vini labra liquore rigat.
Saltat, & ingentes strepitus mouet atq; tumultus,
Litigat, & rixas vociferando ciet.

Marſyas à Phœbo excoriatur. III.



SAtyrus nomine Marſyas,cum Apolline tibia (quam Minerua inueniſſe proditur)contendere auſus fuit, victus autem à Phœbo propter temeritatem, quia Deo cedere nollet,ſuſpenſus eſt, & cute nudatus: hunc Nymphæ ac Satyri, cæteríque ruris incolæ,ita fletu proſecuti ſunt, quòd in poſterum eius cantu carere cogerentur, vt lachrymis eorum flumen increuerit, quod deinceps eius nomine in Phrygia à maioribus Marſya nuncupabatur.


ENARRATIO.

BEllonæ Satyra reperitur tibia primùm,
Hæc inflata sonos ore tremente dabat:
Vox placet, ille nouum modulatur arundine carmẽ,
Inter Naiades arte superbus agens.
Prouocat & Phœbũ calamo quem vincere gaudet,
Sed diuo Satyrus numine victus obit:
Huius & auulso nudat cute corpus Apollo,
Artubus è validis manat vbiq; cruor.
Detracto graciles lucent in pectore fibræ,
Ac se direpta viscera pelle mouent.
Ipsum cornipedes syluestria numina Fauni
Et Satyri deflent, Naiadumq; chorus.
Fertilis immaduit lachrymis hinc terra subortis,
Et venis stillas sæpè rigata, bibit.
Fit flumen subito rapidum quod manat in æquor,
A Satyroq; suum Marsya nomen habent.

ALLEGORIA.

Vincitur à Phœbo Satyrus certamine cantus
Artibus ingenuis tibia cedit iners.
Fistula nec priscis placuit sapientibus olim,
Et lasciua parum laudis arundo tulit.
Tibia deformat faciem buccasq; tumentes
Reddit, & argutæ nil rationis habet.
Nec solet ingenuas inter numerarier artes,
Nam facit vt mentis præpediatur opus.
Atticus hinc princeps quondam dubitabat, an illi
Qui caneret calamo, certa loquela foret.

Tereus, Progne, tres furiæ. IIII.



TEreus, Martis filius, Rex Thracum, postquam auxilia multis tulit regibus, etiam Pandioni Athenis regnanti, cùm à proximis ciuitatibus oppugnaretur, non defuit. Is igitur propter officium sibi præstitum, Prognem filiã suam in matrimonium illi dedit: Celebratis autem nuptiis Eumenides lectulum iugalem strauerunt, & prima nocte concubitus in culmine tecti bubo conspecta fuit, quæ nouo coniugio funestum omen afferebat.

ENARRATIO.

REx olim Tereus sæuos euicerat hostes,
Atq; inimicorum fuderat agmen atrox.
Pandion igitur copulat sibi fœdere Thracem,
Dum fuerat bello diuitiisq; potens:
Huic quoq; coniugio gnatam de nomine Prognen
Iungit, vt inceptus firmior esset amor:
Defuit ornato triplex sed gratia lecto,
Defuit & magni nupta sororq; Iouis.
Eumenides astant tristissima numina, tædásq;
Ex orco manibus quas rapuere gerunt.
Eumenides lectũ sternunt, thalamúmq; ministrãt,
Ac sedet in summo culmine bubo tori.
Hac aue commixti, sobolem genuere parentes,
Hoc & erant populo festa colenda die.

ALLEGORIA.

Eumenides bubóq; mala sunt omina tædæ,
Auspiciúmq; negat pronuba Iuno suum:
Gaudet opes propter natam iunxisse Tyranno,
Séq; putat rebus consuluisse socer.
Sic & adhuc hodie sponsalia plurima fiunt,
In quibus externæ respiciuntur opes.
Nil pietas, virtus, pudor, obseruantia recti,
Nil mores casti vitáq; sancta valet:
Gloria, diuitiæ, dominatus & alta potestas
Quæritur, argenti pectora stringit amor.
Fluctuat hinc grauibus domus exitiosa procellis
Sæpius, & stirpem finis acerba manet.

Tereus Philomelam secum abducit. V.



PRogne deportata in mariti regnum, cùm ex longo temporis interuallo Philomelam sororem desideraret, petiit à Tereo, vt proficisceretur Athenas, & sororem sibi ad solenne sacrificium adduceret. Rex igitur vxori obediens Athenas profectus, ibidémque hospitio soceri sui Pandionis familiarissimè vsus est, & Philomelam vix multis ab inuito parente precibus impetratam, secum eius amore tacitè inflammatus, auexit.

ENARRATIO.

QVinq; per æstates Progne cũ coniuge Tereus
Seruabant socij vincula firma tori.
Tunc blandita suo Pandione nata marito,
Germanam læta mente videre cupit,
Obsequitur precibus Tereus, subitóq; paratas
In freta deduci præcipit alta rates.
Queis tandem vectus Pyræis appulit oris,
Quo socer incoluit mœnia celsa loco.
Hunc vbi conuenit, simul & mandata referre
Coniugis, occulta suscipit arte gener:
Quam petit hæc claro prodit Philomela paratu,
Illius & niueo splendet in ore rubor.
Hanc vbi conspexit Tereus, ardescit amore
Virginis, & sentit tela cupido tua:
Impetus estq; viro castam temerare puellam,
Nutricisq; mala fallere fraude fidem.
Ergo cùm surgit niueis aurora quadrigis,
Dat genero natam corde dolente socer.
Ac Terei fido sobolem committit amori,
Cum famulis intrat post Philomela ratem.

ALLEGORIA.

Inuolucris hominum tegitur peruersa voluntas,
Nam Tereus fraudis pectora plena gerit.
Mel simulat lingua, fel dirum corde recondit,
Hanc etiam cernit nostra senecta fidem:
Non gener est soceri, non hospitis hospes amicus,
Inter nec fratres est genuinus amor.

Tereus Philomelæ linguam exerit. VI.



TEreus Philomelam in Thraciam ducens, eam vi correptam ſtabulis incluſit, vt poſt hac ſine cuiuſquam ſuſpicione ſæpius ad eam commeare, & illicito illius amore frui poſſet. Cùm autem minitaretur, ſe velle eius iniuriam & vim ſibi violenter illatam omnibus patefacere, in ſuper Tereus ei, ne commiſſa poſſet eloqui ac diuulgare, linguam præcidit, & coniugi ſororem ipſius mortem oppetiiſſe, mentitus eſt.

ENARRATIO.

Vix è conspectu soceri iam puppis abibat,
Et nautæ ponto turgida vela dabant.
Vicimus, exclamat Tereus, en gaudia mecum,
En prædam fœlix & mea vota fero,
Vix animo differt ardente Cupidinis æstum,
Aspectu mentem nec saturare valet.
Post iter effectum subitò Pandione natam
In stabula Odrisius rex tenebrosa trahit:
Hæc ibi mœrenti ducens suspiria corde
Clauditur, & patrem vi superata vocat,
Germaniq; cupit tam dirum cernere casum,
Sed frustra sylvis abdita verba facit.
Ne quicquam fundit lachrymas & pectora pulsat,
Infandum crines dilaniata suos.
Erumpens igitur crudelis barbare dixit,
Nil animum patris iussa precesq; mouent?
Quò promissa mei tibi cura maligne recedit?
Hoc ego vel facinus carcere clausa canam.
Extemplò Tereus vagina liberat ensem,
Et medio linguam virginis ore secat.
Hanc stabulis linquit clausam, mortemq; sororis
Nunciat vxori, cùm sua tecta subit.

ALLEGORIA.

Hac ratione solent magni sæuire tyranni,
Qui sua vulgari facta scelesta vetant.
Sed nihil est tectum, quod non ætate patescat,
Ponit in aprico cuncta futura dies.

Progne Philomelam carcere liberans. VII.



PHilomela ſtabulo detenta, cùm exeĉta lingua Terei crudelitatem & iniuriam eloqui non poſſet, in pannum hoc ipſum facinus literarum notis intexuit, eúmque ad ſororem perferendum curauit. Quo inſpecto, & coniugis perfidiam & germanæ caſum Progne comperit. Quamobrem ſacra celebrare Libero patri conſtituens, more bacchantis ad ſtabula properat, ſororémque è carcere liberatam, ſecum in Regiam adducit.

ENARRATIO.

VT mortem Progne, commentáq; fata sororis
Accipit, ingenti corda dolore grauat.
Exuit auratas vestes, nigrasq; resumit,
Ac falsis manibus mœsta sepulchra struit:
Intereà pannos texit Philomela recentes,
Queîs notat horrendum littera picta scelus.
Deferriq; iubet vestes ad limina Prognes,
Agnoscit Terei crimina fœda soror,
Intextumq; legens carmen miserabile panno,
Præ mœrore graui fletibus ora rigat.
Tempus adest, Bromei festum celebrare Lyæi,
Solennes ritus fertq; statuta dies:
Egreditur Progne laribus iam nocte silenti,
Et simulat furias ebrie Bacche tuas.
Concita per syluas currit, stabulisq; propinquat:
Irrumpens claustrum quo Philomela sedet,
Liberat & miseram sæuo de carcere mortis,
Cum Progneq; subit regia tecta soror.

ALLEGORIA.

Sedulitate sua corpus Philomela redemit,
Dum tacita præstans arte parauit opus.
Texuit & gracili teneram discrimine telam:
Non sedeat mulier desidiosa domi.
Net, suat, aut bibulas intingat murice lanas,
Fœmina torporem nanq; pudica fugit.
Dedita lanarum studio Lucretia laudem,
Et propter telam Penelopea tulit.

Progne trucidat ſobolem ſuam. VIII.



PRogne ſororis caſu, mariti facinore commota, filium ſuum Ityn occidit, & dapibus miſcuit. Cum autem Tereus inter epulandum Ityn deſideraret, caput eius ſorores in ſinũ Tyranni proiecerunt, dicentes: Intus habes quem deſideras. Intelligens ergò Tereus ſcelus ſcelere punitum eſſe, ſororem coniugis perſequitur, ſed ea Deorum voluntate in Luſciniam, Progne in Hirundinem: & ipſe Rex in vpupam euaſerunt.

ENARRATIO.

OB crudele nefas Prognes exaestuat ira,
Quae scelus in sobolis viscera triste parat.
Paruus Itys propriae transfigitur ense parentis,
Sectáq; mox calidis membra coquuntur aquis.
Pars stridet verubus, caput à ceruice reuulsum
Abditur, ad solitas rex venit ipse dapes.
Coniicit inq; suam sua viscera nescius aluum,
Pòst vbi sit dubio pectore quaerit Itys.
Prosilit, atq; caput pueri Philomela cruentum
(Vlta velut facinus) mittit in ora patris.
Territus exurgit rabida feritate Tyrannus,
Cecropidas stricto protinus ense petens:
Vtraque sed leuibus medio volat aëre pennis,
Altera amat syluas, altera tecta subit:
Thracius in volucrem, quae gestat vertice cristas
Mutatur, solito nomine fertur Epops.

ALLEGORIA.

Vpupa stercoribus gaudens & foeda volucris,
Immundos homines & fera monstra notat.
Hac quia sordidius nihil est, rostroq; minaci
Infestat reliquas haec petulanter aues,
Sordibus immergunt sic se plerunq; Tyranni,
Et contra miseros arma seuera parant.
Sed pia quae suaues edit luscinia cantus,
Lucida fert iusti signa notasq; viri.
Saepius ille Dei secum benefacta reuoluit,
Ac Domini laudes factáq; magna canit.

Orithyia à Borea rapta. IX.



AQuilo cùm Orithyiam regis Atheniensium Erechtei filiã amaret, nec vllis precibus à parentibus impetrare poſſet, vt ipſi puellam in matrimonium darent, viribus ſuis vſus, Athenas deuenit & virginẽ raptã in Thraciam deportauit: vbi ab ipſo grauida facta, gemellos peperit Zethem & Calaim, quorum poſtea humeris alæ volucrum increuerunt, vt nimirum parentis quoque imaginem, aliqua ex parte, referrent.

ENARRATIO.

REgis Athenarũ Boreas adamabat Erechthei
Natam, cui nomen Orithya fuit:
Flectere sed nulla potuit ratione parentes,
Ambos vt sinerent fœdus inire tori.
Blanditias Aquilo precibus coniunxit honestis,
At nil blanditiæ, nil valuere preces.
Viribus ergò Deus validisq; furoribus vsus,
Flamine mox terras, & freta dira mouet.
Orithyian atrox rapit, atq; potitur amore
Virginis, & fœdus coniugiale ferit.
Dehinc ea fit genitrix geminos enixa puellos,
Qui referunt matris corpus & ora suæ.
Implumes pueri lucis nascuntur ad auras,
Ventosi pennas pòst genitoris habent.

ALLEGORIA.

Inditur amborum soboli natura parentum,
Attica quam coniux ex Aquilone parit:
Rarius hoc ipsum fieri, sed constat in æuo,
In peius nati degenerare solent.
Maiorum flectunt procul à virtute minores,
Pro vitáq; viam perditionis eunt.
Cognita mansuetum celebrat clementia Cyrum,
Cur non Cambyses signa paterna gerit?
Nobilis haud virtus carnali semine manat,
Clarum ceu patrio sanguine stemma venit.
Nec Deus ad certos strictim sua dona penates
Alligat, exultet ne petulanter homo.

FINIS LIB. VI.

OVIDII METAM. LIB. VII.

Iaſon & Medea. I.



IAſoni Theſſalo Aeſonis filio Pelia Neptuni filius ſuaſit, vt in Colchos Aſiæ regionẽ ad vellus aureum apportandum, proficiſceretur, ſperans eum vel in mari vel peregrina terra interituũ. Huius igitur monitis aſcultans Iaſon, collecta non exigua Græciæ iuuentute, Argóque naue fabricata, profectionẽ inſtituit, vtque Aetæ, Solis filij, regiam contigit, Medea Regis filia eius pulchritudine permota occultam ei rapiendi velleris artem communicauit.

ENARRATIO.

THessaliæ proceres in Colchida trāsuehit Argo
  Quos inter princeps Æsone natus erat.
Vnanimes optant phryxea pelle potiri,
  Incutit ast illis vox truculenta metum:
Nam rex horrendos ferus exantlare labores
  Hosq; pericla prius dura subire iubet.
Taurorum fuerant (rapidum qui naribus ignem
  Efflabant) curuo colla domanda iugo.
Armatásq; manus bello superare decebat,
  Anguis atrox somno post reprimendus erat.
Hæc Argonautæ capiunt responsa dolentes,
  Ast Ætiades cor nouus vrit amor.
Formosi pariter mens ardet Iasonis æstu,
  Hinc animo secum multa vagante putat.
An sinat Heroem tristi succumbere letho,
  Consulat an patria turbida scire nequit.
Arridet iuuenis, sed dedecorare parentes
  Horrescit tandem vincit amoris onus.
Æsonidem Colchus secretas addocet artes,
  Aurati donum velleris vnde tulit.

ALLEGORIA.

Mens tibi Medeæ partes distracta per omnes,
  Aspera continuò prælia Marte notat.
Affectus (amor, ira, metus, dolor, atq; voluptas)
  Qualia cælesti cum ratione gerunt.
Inter eos atrox, horrendaq; lucta resurgit,
  Fælix qui motus scit superare suos.

Iaſon ſopit Draconem. II.



CVm Iaſon Medeæ fidem coniugij promiſiſſet, ipſa tauros ſpirantes ignem, armatóſque milites & draconem peruigilem auratum vellus ſimul cuſtodientes, magicis quibuſdam carminibus iuueni parere coëgit, adeò vt tauri ſe iugo ſubmitterent, & armatorum manus in ſe conuerſa, mutuo bello concideret, Draconis autem oculi ſomno implicarentur. Quibus geſtis Iaſon ablato vellere, vnà cum Medea Corinthum abiit.

ENARRATIO.

Colchidis auxilio fretus certamen Iason
Aggreditur fuluum vellus vt inde ferat.
Rex & turba frequens in Martis conuenit aruum;
Æripedes adsunt igniuomíque boues,
Hos ac mansuetos iuuenis submittit aratro,
Vipereos dentes postea condit agro.
E quibus emergit citò gens clypeata virorum,
Horrida quæ valida concutit arma manu:
Inq; caput iuuenis fera spicula torquet & enses,
Carmen sed magica Phasias arte canit.
Quo mox terribiles Martem conuertit in hostes,
Hinc intestina clade caterua perit.
Denique peruigilem restat sopire draconem,
Æsonidi faustum cessit & illud opus.
Spargit enim monstrum lethæi gramine succi,
Obruit vnde citò lumina clausa sopor.
Aurata lætus sic pelle potitur Iason,
Cúmque noua patrium coniuge limen adit.

ALLEGORIA.

En mundanus homo nummos inquirit & aurum,
Ac bona sudato fluxa labore capit:
Sed vir cœlestis thesauros colligit istos
Furis auara nequit quos rapuisse manus.
Colchidos instinctu ceu vellera portat Iason,
Sic æterna Dei dona parantur ope.
Diuitias Christus nobis ostendit opimas,
Huic desponsatus præmia larga feret.

Medea implorat auxilium Deorum. III.



IAson poſtquam Medeam ſecum abductam in Græciam tranſportauit, petiit ab ea, vt Æſonem parentem iam decrepitum, & extrema ſenectute grauatum, in adoleſcẽtiam ſuis artibus reuocaret. Cuius precibus vxor amore, quem ex iuuẽtute coniugis cœperat, obtemperans, Deorum auxilium implorat, & deinceps varia herbarum genera, variis ex regionibus conquiſita, colligit. quibus Æſonem decrepitum ſenem in floridum ætatis virilis ſtatum reducit.

ENARRATIO.

AEsonius iuuenis patrias animosus ad aras,
Aurea cum sociis vellera portat onus.
Gratantur natis iucunda voce parentes,
Fœlicem reditum donáque læta ferunt.
Solus abest Æson letho iam proximus atro,
Dum grauat annorum copia multa senem.
Protinus vxorem precibus demulcet Iason
Orans, ne patri ferre recuset opem:
Sed iam decrepitum iuuenilibus induat annis,
Vt vita poßit commodiore frui.
Obsequitur Medea viro, magicásque per artes
Aggreditur facilem nocte silente viam,
Phœbes & Hecates summisso poplite numen
Inuocat, ac duplices tendit ad astra manus:
Pòst variis (curru volitans) regionibus herbas
Atque genus picti graminis omne legit.

ALLEGORIA.

Æsonis effigie letho vicina senectus,
Quem premit ille vetus significatur homo:
Qui peccatorum decumbit mole grauatus,
Et quasi mortifera peste laborat inops.
Omnis ab antiquo ducit qui semen Adamo,
Annosum refert decrepitúmq; senem.
Cui motus, cui sensus abest, omnísq; facultas,
Qua vitæ poßit consuluisse suæ:
Vana creaturæ sed nil medicamina prosunt,
Pellit eam Christi gratia sola luem.

Aeson decrepitus fit iunior. IIII.



MEdea innumerabilia herbarum genera hinc inde colligens, eas aheno igni feruenti imposito coxit, & cùm animaduerteret stipitem, quo versabat illas, in arborem oleam baccis refertam esse commutatum, & ea quæ ex aheno despumato in terram ceciderant in herbam statim lætissimam conuersa, mox æsonis iugulum gladio resoluit, & loco effusi sanguinis, vulneri madentes herbas inseruit, vnde senex in pristinum iuuentutis vigorem restitutus est.

ENARRATIO.

AEsonis effœtum iam portabatur ad aras
Corpus, vt intraret tabida membra vigor.
Herbarum calido feruet medicamen aheno,
Colchis & arenti stipite versat olus.
Induit hic virides paruo post tempore frondes,
Crescit oliuarum copia deinde frequens.
Sic qua fortè cadit de spumis guttula, passim
Vernat humus (mirum) gramine læta nouo.
Hæc vt Saga videt, stricto mucrone resoluit
Ipsa senis iugulum, sanguis it inde vetus.
Vulnera sed succis Medea recentibus implet,
Caniciem subitò barba, comæq; fugant:
Pellitur hinc macies, cedit de corpore languor,
Nec prius vt faciem ruga senilis arat.
Æstates quatuor denas reminiscitur Æson,
Se natum viuo membra colore valent.

ALLEGORIA.

Decrepitus velut hic lethali stringitur ictu,
Pòst illum noua lux, vita recénsque manet:
Haud aliter, nouus vt superas generetur ad auras,
Est vetus in veteri carne necandus homo.
Certus adest medicus, qui nos iam morte sepultos,
Ad vitam reuocet, Christus in arce patris:
Hic animo (vitæ verbo) torpente veternum
Eximit, hic sanat fonte perennis aquæ.
Huic se credat homo soli, nam præter eundem
Sanandi nullum vim medicamen habet.

Pelias cum filiabus. V.



PEliades, Peliæ filiæ, cùm arietem ſenio cõfectum, à Medea in agnum transfiguratum viderent, eam rogabant, vt parenti Peliæ iam decrepito ſimili ſuam iuuentutem arte reſtitueret. Hæc igitur ſenem, Iaſonis inimicum vlciſci cupiens, filias ad parentem interficiendùm impulit, laceratáque membra in feruens ahenum demittere præcepit. Hoc ita facto, ſenex miſerabiliter periit, ipſa verò Medea currum draconibus iunctum conſcendens, è conſpectu inimicorum aufugit.

ENARRATIO.

Assimulat Cholchis odium cum coniuge saeuum:
Iairto Peliae lumina tristis adit:
Excipiunt natae profugam queis pòst vbi narrat,
Aesona iam veterem deposuisse cutem,
Obtestantur eam simili reuirescat vt arte,
Debilis ipsarum decrepitúsque parens.
Spondet opem Medea suam: medicamine nostro
Agnus ait fiet dux gregis inter oues.
Protinus innumeris aries trux obsitus annis,
In signum crudo vulnere caesus obit.
Iniicitur patulo pòst herbis mixtus aheno,
Longeua pecudis faeda senecta fugit.
Prosilit aere cauo tener & placabilis agnus,
Natarum Peliae corda pauore tremunt.
Induat haud alia nitidam ratione iuuentam
Effaeto Pelias corpore Phasis ait:
Vos iuuenes igitur iugulum mucrone parentis
Soluite, quo sanguis profluat inde vetus.
Expediunt natae fera iussa, senémque trucidant,
Arripit hinc celerem Colchis iniqua fugam.

ALLEGORIA.

Ceu miser iste senex magica deceptus ab arte,
Immeritus diro funere mortis obit:
Sic hodie multis incitamenta malorum
Durities imponunt exiliúmque ferunt.
Nemo se magicis concredat fraudibus vnquam,
Ni consors rabidi daemonis esse velit.

Cygnus Hieres filius in Olorem. VI.



CVm Phillius quidam graui amore Cygni filij Hieres captus esset, & multa imperio pueri peregisset, tandem taurum ei domitum denegauit. Quamobrē ægro & molesto animo ferens Cygnus Phillij contumaciam, ex altissimo monte in terras se præcipitauit, sed miseratione Deorum in Olorem auem conuersus est, & Hiere mater eius flendo in stagnum delicuit.

ENARRATIO.

PHillius immenso Cygni detentus amore,
Illius imperio multa molesta tulit,
Tradiderat puero volucrésque ferúmque leonem,
Pòst etiam Taurum vincere iussus erat:
Phillius eximio mox robore vincit eundem,
Sed bouis huic domiti præmia summa negat:
Hinc puer indignans, saxo se mittit ab alto,
Pennis at niueis aëre pendet olor.

ALLEGORIA.

Est hominis iusti clarißima Cygnus imago,
Qui salit ex alto tristis ad ima loco.
Sic humili se corde pius demittit, at illum
Eleuat, & cœli tollit ad astra, Deus.
Hinc homo fit diuinus olor, quem candida vestis
Induit, & cuius mens renouata nitet.
Ater & est pedibus, fastúque remotus ab omni,
Nec talem mundi gloria vana capit:
Oblongúmque tenet collum, prudenter & aptè
Omnia discernit, cuncta scienter agit.
Obtuso cygnus tranat vaga flumina rostro,
Sic ornat iustum vox moderata virum.
Sæpius hic etiam puro se perluit amne,
Viuáque cœlestis flumina fontis amat.
Denique cùm letho grauat hunc vicina senectus,
Arguta resonans carmina voce canit.
Extollitque Deum commissáque crimina deflet,
Perque necem vitæ limina lætus adit.

Medea ſuos occidit liberos VII.



REuerſa tandem in Theſſaliam Medea, poſtquam vidit Creuſam, Creontis Corinthiorum regis filiã, ab Iaſone ſibi prælatã & in matrimonium ab eodem ductam eſſe, aulã furibunda incendit, & ita Creuſam vnà cum patre combuſſit: Natos etiam ſuos ex Iaſone ſuſceptos, in conſpectu coniugis crudeliter mactauit, itaque iniuriam, quam ſibi putabat ab Iaſone illatam, extrema quadam immanitate vindicauit.

ENARRATIO.

Crudelis tandem proprios Medea penates
Quærit & Æchonidis regia tecta subit:
Ille nouas alia celebrat cum coniuge tædas,
Nec prius vt veterem Colchida nosse cupit:
Hæc igitur magicas extemplo consulit artes,
Occidat & flammis vt noua nupta, facit.
(Conflagrat penitus limen regale, paréntsq;
Interit, & proles igne Creusa perit.)
Deniq; quos proprios suscepit Iasone natos
Transfodit, & diro vulnere membra secat.
Æsonides facinus spectans immane furoris,
Et luctus pariter corda repleta gerit,
Phasiadiq; necem sæuus minitatur atrocem,
Aspera sed pellax effugit arma viri.

ALLEGORIA.

Sic delicta Deus delictis punit acerbis,
Texitur à Sathana longua catena mali.
Crimina criminibus glomerat deterrimus hostis,
Seráq; tunc multo pœna dolore venit.
Felici primò fruitur præclarus Iason
Sorte, sed ambiguo tristia fine cadunt.
Auratum iuuenis vellus cum coniuge portat,
Quo gaudet patriam victor adire domum.
Ante oculos tandem tristißima fata suorum
Obuolitant, natos mater iniqua necat.
Pestis auaritiæ tantos fert noxia fructus,
Hæc et lasciuus præmia reddit amor.

Hercules & Cerberus. VIII.



MEdeam Athenas profectam. Rex Aegeus & hoſpitio ſuſcepit, & matrimonio ſibi iunxit: huius filium Theſea, cùm ille variis laboribus feſſus, ignota hoſpitis ſpecie, domum rediret, Medea pertimeſcens, ei venenum, quod aconitum nominant, apparauit: Nam Hercules ab inferis canem tricipitẽ olim ad ſuperos eduxit: is ex aëre non conſueto euomuit ſpumam, quæ in herbam venenoſam, quod aconitum appellatur, eſt conuerſa. At Theſeus à poculis, monitu parentis abſtinens, ſeruatus eſt.

ENARRATIO.

Colchida pòst Ægeus thalami sibi fœdere iũgit:
At Theseus aberat tum procul arce patris:
Qui tandem rediens variis erroribus actus,
Ignotus patrium limen (vt hostis) adit.
Saga sed attulerat Scythicis aconiton ab oris,
Virus Echidneæ dicitur esse canis.
(Infernas etenim sedes Virinthius Heros
Aggrediens, secum Cerberon inde trahit,
Qui superis vescens auris, è dentibus albas
Eructat spumas, quas Aconita vocant.)
Hospitis hoc miscet calici Medea venenum,
Proponit nato pocula dira pater.
Ensis at in capulo generis monumenta vetustà
Conspicit, hinc illi Thesea nosse datur:
Pestiferos igitur potus excussit ab ore,
Effugit Ægides hac ratione necem.

ALLEGORIA.

Sic Deus & media quos vult in morte tuetur,
Hostica nec semper tela nocere solent:
Herculis exemplum cui Cerberus ipse catenis
Paruit astrictus, nos quoque magna docet.
Imprimis hinc fortis homo se vincere discat,
Cerberon heu proprio corpore quisq; gerit:
Cuilibet impurum peccati virus adhæret,
Affectus quatiunt pectora nostra graues.
Hos vincîre decet, rabidumq; euellere monstrum
Cordibus: hac præstans est generosus eques.

Minos, Cephalus, & Aeacus. IX.



CVm Minos rex Cretenſium cũ Athenienſibus bella gereret, multæ ex Cycladibus inſulæ ab eo defecerunt. Iuſtis igitur ad expeditionem bellicam deſtitutus copiis, ab Aeaco Oenopiæ rege aduerſus Athenienſes præſidia popoſcit, ſed repulſam paſſus, ingenti luctu diſcedit. At vbi Cephalus Procrin, regis Athenienſium filiam, coniugio ſibi iunctam habẽs, auxilia petiiſſet pro Athenienſibus, humaniter ab Aeacidis & acceptus, & voti ſui compos factus eſt.

ENARRATIO.

MVtua Cecropides & Cretæ prælia vexant,
Rex igitur Minos tendit ad Oenopiam.
(Aeacus hîc sedem regnumq; tenebat auitum,)
Auxiliatrices poscit & inde manus,
Ac belli vires contra sibi quærit Athenas,
Cumq; viro pacis iungere fœdus auet.
Ast Asopiades Cretensis vota refellit,
Nulliusq; preces ponderis esse sinit:
Mœstus abit Minos: paruo post tempore velis
Concita ventosis Attica classis adest:
Aeolides vnà Cephalus venerabilis heros
Aduenit, & formæ dona priora gerit.
Regales intrat portus, belloq; precatus
Auxilium, pacis fœdera sancta rogat:
A Minoe peti petulanter Acheida narrans,
Aeacus huic læta mente spopondit opem,
Præsidiumq; viros, ac robora plurima iussit
Sumere nam vario milite diues erat.

ALLEGORIA.

Fœdera sic reges inter se mutua pangunt,
Et iuramentis ludere sepe solent,
Astragalis velut est pueris certare voluptas,
Sed iurata fides non diuturna manet.
Vna dies regum socialia vincula rumpit,
Paruaq; συμμαχίας dissipat hora ducem.
Non è principibus luteo de puluere cretis
Pendet, at è summo vita salusq; Deo.

Deſcriptio peſtis in Aegina. X.



AEacus rex Theſſaliæ Iouis & Aeginæ filius, cùm Oenopiam, ſeu vt Straboni videtur, Oenomiam inſulam coniugis nomine pòſt Aeginam quoque appellatam incoleret, grauis peſtilentia eam inuadebat, adeò vt infecto aëre, terra gramine, fontibus, & pecorum, & hominum incredibilis copia caderet, & locus iſte populis peaè totus euacuaretur. Hanc miſerandam ſtragem ira Iunonis Aeginetis immiſſam Aeacus Cephalo luculenter commemorat.

ENARRATIO.

AEginam pestis quondam violenta premebat,
Atraq; pascebat tabida membra lues.
Æstus lethifero calidus properabat ab austro,
Ipsaq; iam vitium concipiebat aqua.
Aër, terra, fretum virus penetrabile sentit,
Horrenda volucres strage canesq; ruunt.
Euenit & medio tauros occumbere sulco,
Lanigeri pereunt spontè per arua greges.
Acer equus diro cadit ad præsepia morbo,
Robora nec prisci serua vigoris habet.
Obruit extremo clades hæc sæua colonos,
Serpit & in multos pestis acerba viros.
Funera matronæ natis mixtæq; maritis
Languentes obeunt, strage repletur humus.
Sternunturq; solo defuncta cadauera passim,
Et sua cuique domus exitialis erat.

ALLEGORIA.

Æacus hæc narrat Cephalo deterrima cladis
Fata, quibus periit non numeranda cohors.
Scilicet horribilem nobis denunciat iram,
Suppliciumq; Dei tam gemebunda lues.
Accidit incerto non pestis noxia casu,
Pœna sed æthereo desilit ista polo.
Flagitiis hominum datur hæc æquissima merces,
Pestilitas nostra nec remouetur ope.
Lethiferi Deus ipse iacit fera spicula teli,
Non fuet è manibus cui sceleratus homo.

Formicæ in homines. XI.



POſt grauem in Aegina inſula peſtilentiam diu multúmque graſſatam, Aeacus tandem precibus & miſericordia à Ioue impetrauit, vt euacuata iam inſula, quot formicæ in quercu apparuiſſent, tot verſæ in hominum ſpecies, deſideratam multitudinem explerẽt. Homines igitur ex eiuſmodi animalibus procreati, Myrmidones dicebantur: Formicæ enim Græcè μύρμηκες vocantur, vnde nouis populis nomen Myrmidonum eſt impoſitum.

ENARRATIO.

PEstis vt Aeginam populis spoliauerat ingens,
Aeacus implorat numina magna Iouis.
Et sibi vel socios inopina morte peremptos,
Restitui lachrymans voce gemente petit:
Vel pariter gelido condi sua membra sepulchro
Cum turbis, fatum quod subiere rogat.
Iuppiter exaudit luctus & verba precantis,
Rebus & est miseris ferre paratus opem:
Sacra Iouis quercus superas tendebat ad auras,
Hîc formicarum plenus aceruus erat.
Ingentes cumulant animalia parua labores,
Et quærunt multa sedulitate cibum.
Aeacus vt densum miratur & aspicit agmen,
O mihi tot ciues restituantur ait,
Quot formicarum glomerantur in arbore passim,
Corpora, vota Deus mox facit esse rata.
Confestim duro surgunt animalcula trunco,
Atque pedes hominum membra manusq; gerũt.
Gente noua gaudet multùm, ciuesq; salutat
Aeâcus innumeros, Myrmidonasq; vocat.

ALLEGORIA.

Paruula permagni specimen formica laboris
Exhibet, hac pastum congerit ore suum,
Quo tenuem foueat brumali tempore vitam.
Verus homo præstans hoc imitetur opus,
Ac dum tempus adest, diuinaq; gratia durat,
Munera sollicitus non peritura legat.

Cephalus & Aurora. XII.



CVm Cephalus in monte Hymeto regionis Atticæ venaretur, ab Aurora propter insignem corporis pulchritudinem raptus est. Quę vt comperit Procridis suæ coniugis amore implicitum, à se velle diuertere, fecit vt mutata specie tenderet Athenas, eamque & pollicitis, & muneribus tentaret, an pudicitiam retineret integram. Quo facto, Cephalus fidem coniugis suæ parùm sinceram animaduertit. Pudore autem Procris perfusa, ad vitandum mariti sui aspectum, in saltibus sese occultauit.

ENARRATIO.

RETia cũ Cephalus de vertice montis Hymeti,
Poneret indomitis manè dolosa feris,
Lutea conspexit roseis aurora capillis,
Et secum rapuit vi petulante virum:
Procris at huic coniux nimium dilecta manebat,
Sacraq; nuper erant fœdera pacta tori:
Fidus ei Cephalus soli constanter inhæret,
Pectore Procrin habet, Procrin & ore refert.
Inde domum properat, subitos aurora furores
Concipit, effigiem dat Cephalóq; nouam,
Ignotáq; virum specie repetisse penates
Cogit, & vxoris sollicitare fidem:
Ergò domum graditur veluti peregrinus & hospes,
Procrin & ad Veneris gaudia blanda vocat.
Illa diu renuit, tandem succumbit auaris
Muneribus, thalami sic violatur honos.
Pòst vbi cognouit proprium sensisse maritum,
Perfidiam Procris iuráq; fracta tori,
Mota pudore graui syluas quæsiuit opacas,
Contristata sui fugit & ora viri.

ALLEGORIA.

Haud est tam solidum vel inexpugnabile quicquã,
Quod non argenti vis superare queat.
Dira fames auri trahit ad deterrima mentes
Crimina, nec monstrum fœdius esse solet.
Nodus auaritiæ si quem constringit, ad omnem
Illi virtutem semita clausa manet.

Cephalus

Cephalus & Procris. XIII.



PRocris à marito se deceptam animaduertens, pudore commota, vt conspectum eius vitaret, inter densa nemorum virgulta se abscondidit: Cephalus autem amoris impatientia, cùm vxoris absentiam ferre diutius nō posset, precibus vt ad se rediret, impetrauit. Quæ, reuersa, canem ipsi dedit velocissimum, & iaculum ineuitabile, cuius missio nunquam fuit irrita, sed vim feriendi efficacissimam habuit.

ENARRATIO.

IAm Procris nemorum densis celatur in antris
 Seq; viri captam fraudibus esse dolet.
Nec posthac vlli se iungere mœsta marito
 Cogitat, aut priscum rursus adire torum:
Sed syluis potius vitam duxisse iugosis
 Ac dare se comitem casta Diana tibi.
Peruenit at Cephalo vetus ignis ad ossa relicto,
 Quærit & vxorem corde dolente suam.
Hanc, postquam reperit, verbis affatur amicis,
 Et sibi dimitti facta dolosa petit.
Æolides simili pariter succumbere culpæ
 Affirmat donis se potuisse datis.
Iccirco veniam poscit peccata fatendo,
 Sollicitas recipit Procris amica preces,
Iungitur inde suo coniux optata marito,
 Vnanimésq; simul tempora læta trahunt:
Datq; canem munus Cephalo venerabilis vxor,
 Cui par currendo non canis alter erat:
Dat pariter iaculum certos quo mitteret ictus,
 Pignus & hoc firmi fœderis esse cupit.

ALLEGORIA.

Vincula non leuibus rupisse iugalia causis
 Conuenit, astrictam seu violare fidem:
Consortes inter thalami discordia cedat,
 Nec stabilem teneat lis inimica locum:
Alter & alterius mitis delicta remittat,
 Connubij fœlix sic erit omnis amor.

Procridis mors. XIIII.



CEphalus cum ſtudio Dianæ feras aſſiduè perſequeretur, & nimio æſtu refrigerari cuperet, Auram vocabat: Procris autẽ vxor exiſtimans, maritum Nymphã aliquam hoc nomine dictam expetere, in virgultis ſe recondidit, contemplatura, cuius nam virginis cupiditate Cephalus flagraret. Motis igitur hinc inde virgultis, maritus in his feram latere putans, emiſſo iaculo, coniugem inſcius interfecit.

ENARRATIO.

Venatum Cephalus chara sine coniuge solus
(Ceúq; prius famulis non comitatus) abit.
Nec canibus, nec gaudet equis, nec retia pandit,
Sed fisus iaculo tentat adire feras:
Post vbi lassato manat de corpore sudor,
Aestus & intenso membra calore grauat,
Prouocat aëriam gelidis è vallibus auram,
Clamans, ô adsis frigus & aura mihi.
Aura veni, nostrúmq; leues precor aura laborem,
Sic crebris petitur vocibus aura viro:
Rumor & ambiguus contingit Procridis aures,
Quòd Nymphæ Cephalus flagret amore nouo:
Mox igitur nemorum virgultis abditur atris,
Spectet vt euentum quidq; maritus agat.
Frõde leuem tenera strepitũ mouet æmula Procris,
Hirsutam Cephalus sed putat esse feram.
Et iaculum celeris, telúmq; volatile mittit,
Lethiferum coniux pectore vulnus habet:
Hei mihi conclamat, funebria verba maritus,
Audit & agnoscit Procridis esse sonum:
Accurrit subito tentans inhibere cruorem,
Illius at viuus deserit ossa calor.

ALLEGORIA.

Suspicione perit Cephali miserabilis vxor:
Credulitas illi fata suprema tulit:
Qui facile credit, leuitate laborat inani,
Et per stultitiam tristia damna subit.

FINIS LIB. VII.

OVIDII METAM.

LIB. VIII.

Scylla & Minos. I.



MInos Iouis & Europæ filius, rex Cretensium, cùm ob filium ſuum Androgeum ab Atheniẽſibus interfectum, pœnas repeteret, Megæram vrbem, in qua Niſus regnabat, obſedit, ſperans hac expugnata, ſe vniuerſam facilè victoriam reportaturum, Interim verò dum vrbs oppugnabatur, Scylla, Niſi regis filia, ſæpe murum, delectationis gratia, conſcendit, & animaduertens Minoem regali cultu prope murum equo exultantem, pulchritudine eius mirum in modum exarſit.

ENARRATIO.

OBsidet Alcathoen, Minos hostiliter vrbem,
Et contra Nisum bella superba gerit.
Cornua iam sexti rutilans compleuerat orbis
Cynthia, cum fato pugnat vterque pari:
Namq; diu simili victoria lance pependit,
Vnius & bellum conditionis erat:
Regia stat turris, muro coniuncta sonanti,
(Qua referunt Phœbum deposuisse lyram,)
Illuc sæpe solet conscendere filia Nisi,
Hostiles celsa spectet vt arce manus.
En belli procerum iam nomina nouit equosq;,
Minois facie gaudet & illa ducis,
Quem reliquis præfert, habitus laudare decoros
Incipit, ac tacito carpitur igne viri.
Hinc calido varij surgunt sub pectore motus,
Intrat & insanus virginis ossa furor.
Dum secum reputat partes distracta per ambas,
Finiri bellum qua ratione queat.

ALLEGORIA.

Scylla velut speculam scandens lasciua sonantem,
Cretensis turpi gestit amore Ducis:
Sic homo qui leuiter celsos affectat honores,
Et mundi titulos ambitiosus amat,
A Sathana rapitur, Minos quem fortis adumbrat,
Fœdus & ad sceleris pellitur omne genus,
Donec ei tradens animam succumbat agone,
Heu quantum carnis gloria vana nocet.

Scylla patri crines detõdet. II.



SCylla Minoem patriæ ſuæ hoſtem perditè amans, nullam alìam genio indulgendi viam reperire potuit, quàm vt parenti ſuo Niſo crinem purpuream, in quo fortitudo regis & ſalus vniuerſę ciuitatis conſiſtebat, abſcinderet. Dormientem igitur genitorem capillis ſpoliauit, & reſeratis portis per medios hoſtes tranſiens, eos Minoi obtulit, & ſic ardenti amore faſcinata, de ipſo bene mereri cupiuit. Is verò Scyllam conuitiis proſecutus, à ſe procul abegit.

ENARRATIO.

IN Minoa fouet cœcas Neseia flammas
Scylla, nec ardoris vim superare potest.
Nox erat & tenebris, audacia crescit opacis,
Fessaq; iam curis pectora somnus habet.
Ingreditur thalamos virgo taciturna parentis,
Cùm premeret regis lumina clausa sopor.
(Purpureos is enim gestabat vertice crines,
Maxima qui patriæ signa salutis erant.)
Proinde suis spoliat Nisum truculenta capillis
Filia, Cretensi munera fertq; Duci.
En ego nunc, inquit: furtiui pignus amoris
Apportans, patriam sic tibi trado meam.
Accipe purpureum crinem, nec mutua posco
Præmia, sed tantum sim tua tota precor.
Dij te summoueant, Minos respondet, iniqua,
Cogitur & turpem mox dare Scylla fugam.

ALLEGORIA.

Fœminei sexus mores tibi filia Nisi
Exprimit: hæc patriæ fert nocumenta suæ.
In propriúmq; ferox molitur fata parentem,
Heu quam sæpe capit cor muliebre viros.
Amittit simili Samson ratione capillos,
Qui virtute comæ multa stupenda facit.
Cui leo terribili discerpitur ore cruentus,
Cuius & hostilis robore turba cadit.
Fœmineo tandem miserè delusus amore
Vincitur, & tristi funere mortis obit.

Scylla in auem. III.



CVm Minos purpureo crine, quo à Scylla donatus erat, adiutus vrbem Megæram expugnasset, tandem in patriam suam proficisci cogitauit. Quem in nauem vnà cum exercitu ingressum Scylla magno clamore & gemitu secuta est, etiam atque etiam petens, vt se cum ipso adduceret: Abnuente autem istud Minoë, manibus inhærebat naui, quam pater Nisus, in Haliætum volucrē commutatus insequebatur, pœnam de filia sumere volens, sed & ipsa in Cirim auem subitò conuersa est.


ENARRATIO.

ALchatoë cœpit Scylla cum Gnoßius vrbem
 Præsidio, leges hostibus imposuit,
Extemploq; ratis solui retinacula iußit,
 Contendens patrios rursus adire lares:
Scylla sed æratas cernens abscedere puppes,
 Præmia flagitij larga referre cupit,
Minoisq; diu precibus deposcit amorem
 Innumeris, optans tecta videre Ducis:
At nihil efficiens rabidam se vertit ad iram,
 Acriter & dictis ceu furibunda tonat:
Exprobrans duris regi data munera verbis,
 Et meritum luget sic periisse suum.
Insequitur tandem virgo complexa carinam,
 Hanc pater, vt cernit, nunc Haliætus auis
Aduolat, vt laceret: Ciris fit Scylla volucris,
 Scilicet à tonsis nomen adepta comis.

ALLEGORIA.

Virgo quæ patriam Niseia prodidit hosti,
 Tantis pro meritis præmia nulla capit:
Sed deserta sui discedit ab ore parentis,
 Nec scit quò faciem vertere tuta queat:
Sic Sathanæ qui se credit, patremq; benignum
 Deserit in cœlis, postmodò viuet inops.
Huic deplorato non auxiliabitur hostis
 Tempore, præsidium nec feret ipse Deus.
Fallitur haud vnquã Domino qui firmus adhæret,
 Interit at Sathanæ qui famulatur homo.

Theſeus Minotaurum vincit. IIII.



MInos victor cum Athenienſibus ſtipendium impoſuiſſet, vt videlicet nobilium nonnulli quotannis ad Labyrinthum in Cretam, à Dædalo artificioſè extructum, mitterentur, qui Minotauro (quem Paſiphaë, Solis filia Minois vxor, eiuſdem Dædali fabri ope iuncta tauro, enixa fuerat) erant obiiciendi: Tertio ſtipendio Theſeus Aegei & Aethræ filius in Cretam inſulam deuectus, Ariadnæ Regis filię, quæ iuuenis amore arſerat, ope & conſilio periculum capitis effugit.

ENARRATIO.

DÆdalus ingenio faber & præstabilis arte
In Creta flexo tramite ponit opus.
Huius in errorem ſeducunt limina quemuis,
Irremeabilibus nempe referta viis.
Quà Minotaurus monſtrum crudele locatur,
Semibouis fuerat cuius imago viri.
Clauduntur q; ſimul bello deuicta ſuperbo
Corpora, quæ monſtri ſanguine guttur alant.
Theſea pòſt etiam iuuenem ſors aſpera tangit,
Sed bona præſidium fert Ariadna viro:
Oſtendit q; modum poßit quo vincere taurum,
Ac retro dubium voluere certus iter:
Namq; picem, fuſumq; iubet portare globoſum,
Perq; recuruatas ducere fila vias.
Dehinc monſtri lento replere bitumine fauces,
Obſequitur Theſeus, conciliumq; probat.
Et Minotauri ſic turgida colla recidens,
Fraudibus exuitur, quas labyrinthus habet.

ALLEGORIA.

Fert Minotaurus Sathanæ ſimulachra ferocis,
Guttur qui latè pandit inane ſuum.
Humaniq; nequit ſatiari ſanguinis hauſtu,
Ægidis Chriſtus grandia facta notat,
Perplexas cæci latebras qui luſtrat Auerni,
Plutonis frangens imperiumq; necis.
Prodit & è tumulo lucem rediuiuus ad almam,
In cælum pariter læta trophea refert.

Dædalus & Icarus. V.



DÆdalus Eupalami filius, de quo ſuprà dictum, vbi propter commiſſa ex labyrintho, in quem vnà cum filio ſuo Icaro clauſus erat, aufugere vellet, pennas ſibi & filio aptauit, quibus ſubleuati, vt volucres, Regis ita Minois imperium euitarunt. Verùm Icarus quia patris obtemperare præceptis nequiuit, ex alto in maris inſulam decidit, quæ deinde eius nomine Icaria dicta eſt. Dędalus autem ſepulto filio, in Siciliam ad Cocalum Regem peruenit.

ENARRATIO.

ICarus & genitor labyrintho clausus vterq;
Arte, nouaq; sibi consuluere fuga.
Pernices membris quia Dædalus applicat alis,
Et pennis cœli tentat adire plagas,
Præcipit & puero tenues volitare per auras,
Extemploq; patris tollere corpus humo,
Illius & plumas humeris affigit, vt alto
Aëre ceu volucris carpere posset iter.
Inde secant ambo plaudentibus æthera pennis,
Gnosiacıq; cauent hac ratione minas.
At puer audaci regnum sublime volatu
Appetit, & lapsu præcipitante ruit,
Dumq; patris temerè monitus ac iussa relinquit,
Aequoreo pennas amne solutus, obit.

ALLEGORIA.

Ceu labyrinthæis opifex ambagibus errat
Clausus, & hunc monstri terret imago feri:
Sic animas hostis moribundo carcere strictas
Angit & oppugnat, nec patet inde fuga.
Ni sit homo prorsus terreno exutus amore,
Adq; Deum precibus sobria corda leuet.
Aethereasq; petat (solers vt Dædalus) auras,
Et quærat superas limina sancta domos:
Gratia sed Christi leuibus nos instruit alis,
Haud quicquam nostra perficiemus ope.
Quisq; suis tentans metiri viribus astra,
Icarus vt rapidis morte peribit aquis.

Perdix puer in auem. VI.



PErdix auis cùm Dædalum ſuum ipſius filium ſepelientem videret, miro eius caſu lætata fuit, nuper enim in auem transmutabatur. Erat autem filius Cali Athenienſis Dædalo à matre, ſorore nimirum eius propter conſanguinitatem commendatus & in diſciplinam traditus, qui ſingulari ingenij acumine primò ſerrarum & Circini vſum inuenit, quam ob cauſam à magiſtro exoſus, de muro præcipitatus eſt, cui decidenti Minerua opem tulit, & eum medio volatu, in auem ſui nominis conuertit.

ENARRATIO.

DÆdalus vt natum tumulo mădauit, ab alta
Triste videns Perdix ilice plausit opus,
Declarans pennis & læto gaudia cantu,
Hæc puer antè fuit, factáq; nuper auis:
Tradit enim fratri sobolem germana docendam,
Bissenas hyemes pòst vbi natus agit.
Ille sed ingenio præstans & acumine mentis,
Doctorem celebri vincit in arte suum.
Cui dentata prius reperitur serra, deinde
Circinus, hinc cedunt commoda multa fabris.
Inuidet ast illi præclarum Dædalus omen,
Et mox præcipitem Palladis arce iacit.
Mentitus lapsu puerum cecidisse dolendo,
Hunc tamen auxilio casta Minerua fouet.
Reddit eum volucrem, pennis & in aëre vestit,
Illáq; perdicis nomen vt antè gerit.

ALLEGORIA.

Sustinet inuidiam fruitur qui sorte secunda,
Cuiue Deus mentis suppeditauit opes.
Liuor præcipuè regnat sublimibus aulis,
Alter & alterius nil rationis habet.
Fortior infirmum turbat maiorq; minorem
Supprimit, hîc odiis pectora dira scatent.
Proh dolor & latum scelus hoc irrepsit in orbem,
Accipiter turdos ceu laniare solet.
Et miseras coluber velut infestare lacertas,
Sic perit inuidia sæpè benignus homo.

Meleager in venatione aprum interemit. VII.



OEneus Rex Aetoliæ, Parthaonis filius, quia in ſacrificio cogendorum fructuum, de induſtria prætererat Dianam, ab ea horrendus quidam Aper in Calidoniæ agros, vt omnes ſegetes euerteret, immiſſus eſt. Perſeuerāte autem Oeneo in deſpectu Deæ, Meleager iuſſu parentis, conuocatis Græciæ principibus, ad venationem apri aggreſſus eſt, cui negocio etiam Atalanta Schœnei, Arcadię regis filia, intererat, quam Meleager deperibat. Ab hac etiam aper primo vulneratus, deinde à Meleagro interemptus fuit.

ENARRATIO.

Munera plena Deis anni successibus Oeneus
Offert, et cunctis sacrificare studet.
Praeterit at solam cui non dat thura Dianam,
Et meritò castam priuat honore Deam.
Hinc furor exardet Triuiae nec ferre nefandum
Hoc scelus et regis facta superba potest.
Protinus Oeneios horrendum mittit in agros,
Qui perdat segetes aruáq; vastet, aprum:
Illius igne micant oculi saeuóq; cruore,
Ac setae veluti cuspis & hasta rigent,
Huic quoque spuma fluit calidis è faucibus alba,
Igniuomo dirum fulmen & ore cadit.
Conculcat passim sata laeta boumque labores,
Palmite cum grauido mitis oliua perit,
Saeuit & in pecudes nec eum rabiosa canum vis,
Nec pastoralis pellere turba valet:
Conueniunt igitur clara de gente Pelasga
Venandi studio praecipuiq; Duces.
Strinxit Athalante virgo pulcherrima primùm
Vulnere, confecit pòst Meleager aprum.

ALLEGORIA.

Hîc designat aper plenum feritate Tyrannum,
Qui proculcando perdere cuncta solet.
Expectat miseras inflata superbia poenas,
Ac spretus verae relligionis honor.
Vnius interdum subitas fert noxa ruinas,
Et commissa ducum subdita turba luit.

Meleager & Athalante. VIII.



MEleager Oenoi filius, apro iam interfecto, caput & exuuias virgini Athalantę, quòd aprum primò sauciasset, lubens concessit, Quod cùm eius auunculi Plexippus & Toxeus, quorum pater Thestius erat, conspicerēt, molestia maxima sunt affecti: Exuuias igitur virgini eripientes, suo sanguine pœnas temeritatis penderunt. Meleager enim irritatus magno cum impetu in eos inuasit, & omnes telo trucidauit.

ENARRATIO.

VT generosus aprum tetigit Meleager acutæ
Cuspide lethali vulnere cæsus obit.
Huic igitur ferro caput exitiabile scindit,
Diripit & rigida tergora pellis ouans:
Sed quia virgo feram primùm Nonacria telo
Strinxerat, hanc partem laudis habere sinit.
Protinus exuuias dat præmia magna puellæ,
Dat caput abscissum spontè furentis apri.
Inuidiam reliquis peperit laudabile donum,
In totóq; sonans agmine rixa fuit.
Thestiadæ fratres per vim data munera raptant,
Fortis at Oenides talia ferre nequit.
Stringit in agnatos gladium commotus ab ira,
Inq; viros nudo percitus ense ruit.
Mollia Plexippi demittit in ilia ferrum,
Principio validum Toxea deinde petit,
Amborumq; suo prosternit corpora telo,
His ita sublatis præmia virgo refert.

ALLEGORIA.

Mutua cognatos inter miserandaq; cædes
Exoritur, sæuo bellaq; Marte vigent.
Occumbunt bini truculento vulnere fratres,
Queis leuis ambitio fata cruenta tulit:
En super exuuiis contentio dira mouetur,
Nec paucos hodie perdit inanis honor.
Rebus & è leuibus rixæ nascuntur atroces,
Publica quæ secum lataq; damna trahunt.

Meleagri interitus. IX.



ALthæa mater Meleagri, poſtquam fratres ſuos à filio interemptos eſſe accepit, ſtipitem fatalem à Parcis abſconditum, in quo vita Meleagri conſiſtebat, flamma peruſſit, quo abſumpto, Meleager etiam extinctus eſt. Hoc autem defuncto, ſorores ipſius interitum deplorantes, inter lamentandum in volucres conuerſæ, déque fratris nomine Meleagrides ſunt cognominatæ.

ENARRATIO.

GErmanos postquam proprios Althæa necatos
  Accipit, immenso corda dolore grauat.
Et lachrymans vrbem mæstis vlulatibus opplet,
  Mutat & auratas vestibus illa nigris:
At simul autorem cædis cognouit acerbos,
  Matronæ gemitus mæror & ira tulit:
Concita nam varios motus in pectore versat,
  Et struit in natum funera dira suum.
Stipes erat, filum nentes fatale Sorores,
  Olim flammato quem posuere foco,
Perderet vt vitam combusto torre caducam,
  Oenides (Parcis lex ea certa manet.)
Thestius at fœtum tenues vbi mittit in auras,
  Flagrantem ramum protinus igne rapit,
Abscondens ēt eum plures extendit in annos,
  Ætatem sobolis fatáque sæua fugat:
Nunc verò nati facinus cùm lugubre cernit,
  In flammas torrem (saucia mente) iacit.
Continuò rapidis Meleager ab ignibus ardet,
  Et sua paulatim viscera tostus obit.

ALLEGORIA.

Fumoso veluti stipes comburitur igne,
  In prunisque diu non superesse potest:
Sic mortale breui spatio consumitur æuum
  Dum, tanquam vento lux, aboletur homo:
Quàm citò conflagrat lignum fornacibus aptum,
  Tam citò quæ trahitur vita caduca perit.

Perimele in insulam, X.



PErimele Hippodamantis filia, cùm ab Acheloe amne per vim esset vitiata, pater eam ob admissum flagitium in pelagus ex alto scopulo præcipitauit. Achelous verò de salute amicæ vehementer sollicitus, à Neptuno petiit, ne ipsam submergeret, sed ei vel tutum aliquem locum præberet, vel eam in locum conuerteret: Quod sanè Neptunus facile permisit, statimque Perimelem in insulam transmutauit.

ENARRATIO.

Amnis Acarnanus Perimelen priuat honorè
Virgineo, nomen hic Achelous habet.
At pater Hippodamas luctu commotus & ira,
Flagitium sobolis corde dolente tulit:
Protinus è scopulo deiecit in aquora natam,
Iussit & hic sceleris præmia ferre sui:
Haud mora stupratam resonans Achelous amicam
Excipit, & regem sic maris alloquitur:
Imperium pelagi sortite Tridentifer audi,
Et sine quas fundo pondus habere preces.
Huic ego virgineum quam porto nomen ademi,
Inde patris pœnas iam feritate luit.
Arida nunc illi tellus habitanda negatur,
Quam pater è scopulo trusit ad ima freti:
Tu fac ne pereat pelago submersa profundo,
Tu Deus hanc mediis eripe quæso vadis,
Et concede locum miseræ, quo tuta quiescat,
Aut mea, si mauis, fiat amica locus.
Annuit huic ponti parent cui flumina rector,
Insula telluris fitq; puella noua.

ALLEGORIA.

Hippodamas natam veluti deturbat ab alto
Marmore, dum patrat grande malúmque nefas:
Sic & iniquus homo, quoties se crimine fœdo
Polluit, in dubias præcipitatur aquas,
Pellitur & supera regni cœlestis ab aula,
Et rapido scelerum mersus in amne perit.

Iuppiter & Mercurius hoſſpites. XI.



IVppiter & Mercurius in humanam formam conuerſi, Phrygiam regionem, vt hominum animos eorúmque benignitatem experirentur peragrârunt. Cùm autem ex oppidanis eos nemo reciperet, tandem Philemonis ruſtici & pauperis cuiuſdam hoſpitium ingreſſi, ab eo liberaliter ac lautè, pro tenuitate ac rei familiaris anguſtia, tractati ſunt: Nam præter vulgares epulas etiam Philemon vnicum iis, quem habebat, anſerem mactare volebat. Eius verò necem Dij prohibuerunt.

ENARRATIO.

Cum Ioue Mercurius Phrygiā lustrauerat olim
Et facie tectus carpit vterque viam,
Humanóque nouas gestant in corpore formas,
Mille domos adeunt, & loca mille petunt.
Hospitij sedem sub amœna crepuscula noctis
Quærentes frustra sed pepulere fores:
Pressa tamen stipulis tandem casa parua recepit,
(Et requiem fessis præbuit illa) Deos.
Baucis anus trepidúsque domum coluere Philemō,
Excipiunt læti numina bina senes.
Extemplò pariter sopitum suscitat ignem
Baucis, olus foliis truncat, & ære coquit.
Fercula fictilibus ponuntur rustica vasis,
Pocula de fago stant fabricata rudi.
Pauperibus Diui gaudent accumbere mensis,
Ac donis cumulant vina dapésque nouis:
Vnicus anser erat quem Diis mactare parabat
Fœmina, cælicolæ sed vetuere necem.

ALLEGORIA.

Hospitij pia iura Deus commendat, & illud
A nobis læta fronte requirit opus.
Cui verè fuerit peregrinus & aduena curæ,
Præmia pro vili munere larga feret.
Olim dum Geniis hominum sub imagine binis
Officij Lothus præstitit omne genus,
Diuus & Abraham parili seruiuit honore
Hospitibus, facilem promeruere Deum.

Philemon & Baucis in arbores. XII.



IVpiter & Mercurius benignitatem Philemonis & Baucidis experti, se Deos palã ostendũt eósque secum ascendere collem iubẽt. Quo facto mox suũ oppidulũ in lacũ vidẽt cõuersum, omnésque domos præter suã casam, quæ in templum erat mutata, submersas. Porrò à Diis optione data senibus, vt quicquid vellent peterẽt, Philemõ se templi huius sacerdotes esse ea conditione optauit, vt nec ipse coniugis, nec vxor eius mortẽ videret. Voti igitur ambo facti compotes, tandem cum ad extremam peruenissent senectatem, in arbores euaserunt.

ENARRATIO.

Post cœnam se sponte Deus patefecit vterque
Ac iuncti senibus mox abiere domo:
Culmina coniugibus sed celsa patentibus inde
Oppidulum spectant interiisse suum,
Submersósque lares, tantùm casa Baucidis ima
Versa stat in templi splendida tecta sacri.
Ambo stupent thalami mox cum consorte Philemō,
Effundunt timido vota, precésque sono.
Iuppiter hos placidè verbis affatur, & inquit:
Hæc procul ambigui signa doloris eant.
Optio sit vobis dabitur quodcunque petetis,
Præmia vos, pœnas cætera turba ferat.
Alter vt alterius fati sit nescius optant,
Ecce sacerdotis munus vtrísque datur,
Vt fano præsint, tandem pro morte virentes
Arboris assumunt corpora bina comas.

ALLEGORIA.

Nescia Diis hilarè confert benefacta duobus
Cùm seniore suo coniuge Baucis anus.
Hinc precium tali dignum pietate reportant,
Ac necis expertes arbor vterque manent.
Sic qui pauperibus fraterni præstat amoris
Officium, vitæ tempora longa trahit.
Hospitis & fuerit cui cura benigna vagantis,
Ille Deo coram quercus vt alta viret:
Qui verò proprias externis obserat ædes,
Horrenda tandem morte scelestus obit.

Erisichthon quercum excindit. XIII.



ERisichthon Thessalus, Deorum contemptor, cùm in Cereris nemore multas arbores securi violaret, altissimámque quercum, in qua Nympha habitabat, excinderet, Hamadryades illorum montium incolæ ad Cererẽ conuenerunt, precantes, vt tantum contemptum & impietatem vlcisceretur. Ceres igitur & sua & Hamadryadum causa permota, Erisichthonem nouo supplicij genere afficere, assiduáque famis stimulatione cruciare decreuit.

ENARRATIO.

CÆlicolûm tenues Erisichthon numina sacrũ
Erubuit Cereris non violare nemus.
Dicitur is valida lucos temerasse bipenni,
In quibus annoso robore quercus erat:
Fama refert Dryades hanc incoluisse puellas,
Abstinuit sæuas non tamen ille manus:
Sed famulos sacrum iussit succidere robur,
Ictu tunc medio vox dedit ore sonum.
Nympha sub hac ego sũ, quæ scinditur arbore ferro
Parce precor: cœptum Thessalus vrget opus,
Et multò veterem prostrauit pondere quercum,
Attonitæ Dryades facta nefanda dolent.
Mœrentes adeunt Cererem cum vestibus atris,
Et pœnas orant suppliciúmque viro:
Annuit alma Ceres, nimium permota nefando
Crimine, nec pœnam vult adhibere leuem:
Sed lacerare fame genitrix Erisichthona frugum
Molitur, miris & cruciare modis.

ALLEGORIA.

Thessalus iste potest tibi demonstrare Tyrannum,
Qui spernit petulans numina sacra Dei,
Opprimit & iustos homines, rabidáque securi
Deiicit, innumeris persequitúrque malis,
Turpibus & prædis inhiat grauibúsque rapinis,
Quas captat, nunquam se saturare valet:
Hinc miseri plangunt luctu, cœleste vocantes
Auxilium, supera quos Deus arce iuuat.

Deſcriptio famis. XIIII.



CEres Dea frugum, Eriſichthonis immani facinore vehemẽter indignata, vnã è Nymphis ad Famem, quæ Dea repreſentatur, in extremam Scythiam, ablegauit, quæ ſuo nomine oraret ipſam, vt Eriſichthonem tota vi inuaderet, eidémque famelico prorſus omnem edendi ſatietatem adimeret. Nympha ergò Deæ morẽ gerens, à draconibus vecta, illud à fame, quamuis Cereri aliâs inimica, impetrauit.

ENARRATIO.

Montanam dictis compellat Oreada Nympha͂,
Et placidè fatur talibus alma Ceres.
Est locus extrema Scythiæ macilentus in ora,
Cernitur hic tellus arida frigus iners.
Hac pariter ieiuna fames in sede moratur,
Illi præcipies nomine ritè meo,
Vt se visceribus latitans Erisichthonis abdat,
Aggreditur curru Nympha volante viam.
Aëra per medium subuecta draconibus errat,
Et limen Scythiæ mox regionis adit,
Obscænámque famem lapidoso cernit in agro,
Hirtus ei crinis, pallor in ore sedet,
Labráque fœda situ nigri rubigine dentes,
Rara cutis quæ vix inferiora tegit,
Huic procul vt vidit Cereris mandata reclusit
Nympha, dehinc retro curribus egit iter.
Dira fames subitò præceptis paret, & omni
Exequitur studio iussa seuera Deæ.

ALLEGORIA.

Expectat meritò sæuum Triopeius Heros
Supplicium (vincit quod mala cuncta) famis.
Et meritò quoniam per fasq; nefásque cruorem
Exuit miseris, præmia tanta refert.
En prius alterius qui corpus & ossa vorauit,
Ille nequit ventrem nunc saturare cibo,
Nec valet ingluuiem dapibus compescere diram,
Hæc auri sitiens munera portet homo.

Erisichthon fame inexplebili torquetur. XV.



FAmes, nomine Cereris à Nympha vocata, noctu domum Erisichthonis intrauit, seque per aures, os & nares in viscera dormientis immisit, eúmque tanta stimulauit violentia vt sibi noctu per somnum omnia deuorare nullísque epulis satiari posse videretur. Expergefactus autem dapes confestim requisiuit, nec cibis vllis famem sedare potuit, donec gula tandem omnes facultates, totúmque patrimonium abliguriret.

ENARRATIO.

CRuda fames tacitè thalamos Erisichthonis in-
Aspirans fauces, pectus & ora viri. (trat
Et sic immittit vacuis ieiunia venis,
Hinc auido stertens appetat ore dapes.
Labra mouet dentes exercet imagine somni,
Próque cibis auras deuorat ipse leues.
Post vbi pulsa quies, furit improbus ardor edendi,
Mox epulis epulas addit & auget inops:
Nec tamen expletur, nec sæua cupido vorandi
Deficit, insurgit sed magis atra fames.
Quæq; prius toti planè suffecerat vrbi,
Vnius haud auidæ sufficit esca gulæ.
Sic alimenta rapax macram demittit in aluum,
Adde quod & patriæ diminuuntur opes.
Et bona consumit ventris rabiosa vorago,
In caua nam census viscera diues abit.

ALLEGORIA.

Rex hic argenti cupidum designat & auri,
Nummis qui nunquam corda replere potest:
Nam vasta semper ceu fauce famelicus ardet,
Sic inhians lucro semper auarus eget.
Quò plus accumulat tantò magis appetit amens,
Nec placido vitam corde quietus agit:
Quærit vt absumat, sed mox absumpta requirit,
Pauper & in varus degit, egénsque bonis,
Garrulus admota ceu Tantalus esurit esca,
Atque siti mediis excruciatur aqui.

Metra in varias figuras. XVI.



CVm Erisichthon totum iam patrimonium ventri impendisset, vnicam quoque filiam Metram, olim à Neptuno vitiatam, vendere coactus est. Hæc autem vt seruitutis iugum effugeret, Neptuni auxilium implorauit, qui ei in vetulum piscatorem conuersæ concessit, vt quas vellet formas assumeret. Hoc pacto per aliquod tempus patrem famelicum aluit, sed tandem omnibus facultatibus absumptis, Erisichthon sua ipsius comedit viscera, & sic miserabili morte periit.

ENARRATIO.

HElluo fortunas paulatim perdidit omnes
Thessalus, & nulla reppulit arte famem.
Filia restabat non tanto digna parenti,
Pauperies illam vendere summa iubet.
Nata iugum domini peregrinum ferre recusans,
Rectorem supplex æquoris orat opem.
Is prece non spreta, varias gestare figuras
Hanc facit, & vultus ora subinde nouat.
Nunc faciem pisces sumit capientibus aptam,
Nunc, equa, bos, asinus ceruus & ales abit.
Et sic abdomen patris insaturabile nutrit
Filia, sed venter pabula cuncta vorat.
Cúmque nihil superest, corpus diuellere morsu
Incipit, & membris membra Tyrannus alit.
Pòst magis atque magis miseros depascitur artus,
Dum nece paulatim deficiendo perit.

ALLEGORIA.

Pœna Dei rabidos tangit lugenda Tyrannos,
Quæ si differtur grandior ire solet.
Qui bona præsentis vitæ peritura requirit,
Vera nec æternæ munera lucis amat,
Duriter extremo terrestribus ille peribit
Implicitus curis, & morietur inops.
Non sua fraus ipsi dolus, aut versutia quicquam
Proderit, & ventrem non saturabit egens:
Integer æternos at sustentabitur annos
Cœlestique pius pane fruetur homo.

FINIS LIB. VIII.

OVIDII METAM. LIB. IX.

Hercules, Achelous. I.



DEianira Oenei regis filia, virgo Ætolarũ speciosissima, cùm à multis amaretur pater eã in matrimonium huic dare constituit, qui luctandi gratia veniens victoriam reportaret. Omnibus autẽ metu perculsis, retróque cedentibus, duo sunt inuenti, Hercules & Achelous, qui manus inter se conserere auderent, Cõmisso igitur prælio, Achelous multis dolis Herculem elusit, seque in varias transmutauit formas, ac tandem succumbens Herculem victorem agnouit, qui filiam regis pugnando adeptus est.

ENARRATIO.

DEianira fuit quondam pulcherrima virgo,
Ætolûm regis filia chara procis.
Hanc sibi connubio iungi petiere puellam
Innumeri, prohibet fœdera tanta parens:
Nec generum nouisse cupit nisi fortiter ille
Dimicet, & magnum se probet esse virum.
Aufugiunt alij, perstat Calydonius acer,
Perstat & Alcides, munus vtérque petit.
Concertant ambo, sed vi Tyrinthius hostem
Deiicit, è manibus mox Achelous abit.
Versus & in flumen magno cum murmure fluctus
Tollit, & heroem sic superare cupit.
Post nil efficiens, dirum formatur in anguem,
Cunctáq; peruigili fraude dolosus agit:
Herculis & serpens cùm vim perferre nequiret,
Deuicto tauri restat imago trucis.
Hunc Ioue natus adit, cornúque à fronte reuellit
Victor, & egregiæ præmia laudis habet.

ALLEGORIA.

Nos docet Alcides quo non præstantior armis,
Quid deceat fortem magnanimúmque virum.
Qui cupit æterna pòst mortem luce potiri,
Fortiter hunc ipsum belligerare decet.
Non desunt hostes, qui nobis fata minantur
Vltima Sarcotheus, mundus & ægra caro.
Hos virtute Dei si quis prostrauerit vltor,
Munera tam duro digna labore feret.

Neſſus Centaurus ſagitta traiectus. II.



VIctor Hercules cùm Deianiram vxorem Neſſo Centauro commiſiſſet, vt eam Euenum amnem tranſueheret: is quidẽ forma puellæ allectus, ſinuoſis errabat flexibus, locum eius comprimendæ captans. Cæterùm vxore mariti ſui fidem implorante, mox ab Hercule Neſſus telo confixus eſt: qui cùm expiraret, veſtem ſuam ſanguine aſperſam dedit Deianiræ, indicans hanc fore remedium aduerſus deſertum amorem coniugis, quam primum ea indueretur. Cruor autem iſte in venenum mutabatur.

ENARRATIO.

ECce noua repetens patriam cum coniuge terram
 Eueni tangit iam Ioue natus aquas.
Auctus erat valdè nimbis hyemalibus amnis,
 Peruius est nusquam verticibúsque frequens.
Intrepidus pro se primam de coniuge curam
 Suscipit Alcides, nil opis esse videns:
Spondet opem Nessus prudens scitúsque vadorum,
 Hoc mecum coniux lintre vehetur, ait:
Interea validis tu viribus vtere nando,
 Littora dum detur tangere summa tibi.
Pacta placent, timidam recipit Çalydonida Nessus
 Et per aquas curuo tramite flectit iter.
Huius vt illicitò flagrans potiatur amore,
 Sed non Aonium fraus latet illa virum:
Namq; grauis pharetra subitò fera flumina tranat,
 Percipit & patula coniugis aure preces:
Inde ferit telo Centauri pectus adunco,
 Vestis & emisso tincta cruore rubet.
Hanc donat raptæ moriens medicamen amoris,
 Gratia si quando cesset amica viri.

ALLEGORIA.

Admonet exemplum, ne decipiamur ab hoste,
 Gutture de cuius dulcia mella fluunt,
Sed latet abstruso liuens in corde venenum,
 Imprimis tacita fraude paratur amor.
Historiæ veluti nobis monumenta recludunt,
 Fraus semper Veneri grata dolúsque fuit.

Lychas in vndas deiicitur. III.



HErcules in Orchatiam regnum Eurisi traiiciens, Iolen eius filiam secum abduxit. Prior autem coniux Deianira falso suspicata animum viri à se abalienatum tunicam Centauri sanguine tinctam, ipsi iam sacrificaturo, per Lychan famulũ misit. Eam indutus Hercules ad aras accedens, flamma vestis citò incaluit, & veneno Lernæo eius viscera sunt infecta. In summo igitur cruciatu, cùm vitam finire nequiret, Lychan acerbissimi muneris autorem in mare Euboicum proiecit, qui in scopulum deinde conuersus est.

ENARRATIO.

SAcra Ioui victor longi post acta laboris
Alcides certo tempore vota parat.
Rumor at incertus pulsat Calydonidis aures,
Aonium thalamos instituisse nouos.
Credit amas lachrymisque dolens indulget amaris,
Inq; vagos motus fœmina tristis abit.
Mittit ei tunicam, Nesseo sanguine tinctam,
Vt vetus induta veste recurrat amor.
Ignarúmque Lychan patrias ablegat ad oras,
Affert hic domino tradita dona suo.
Nescius ille nouos habitus vestémque cruentam
Induit, atque Ioui thura daturus erat.
Vis infanda mali corpus, cæcúmque venenum
Occupat, & flammis membra perusta calent:
Sustinet immensos longum sine morte dolores.
Aonius vitam nec posuisse valet:
Inde Lychan rabidum mittit furibundus in æquor,
Versus at is scopuli signa vetusta gerit.

ALLEGORIA.

Sæpe premunt homines extrema pericula magnos,
Præmia nec virtus semper habere solet.
Quis fuit Alcida maior? quis fortior Heros?
Attamen ante necem tristia fata subit:
Sic olim cecidit præclara potentia Crœsi
Diuitis, & Marius multa pudenda tulit.
Quos tamen euexit sors ad fastigia cæli.
Molliter humanis fidere nemo velit.

Herculis ἀποθέωσις. IIII.



HErcules diu multúmque grauissimis flammarum doloribus excruciatus, in Oeta Thessaliæ mõte rogum extrui curauit, sagittísque Philoctetæ Pæantis filio traditis, qui Pyram illi struxerat, igne combustus est, ita tamen, vt immortalium Deorum ius à Ioue in cœlo reciperet, & aliquando placata Iunone, filiæ eiusdem nomine Hebę iungeretur. Deianira autem vxor Herculis, re cognita, pię ingenui animi luctu & mœstitia, sibi mortem laqueo consciuit.

ENARRATIO.

INgentem cœli natus Pæante sub auras
Erigit, ac mira construit arte rogum.
Subiicit & flammas, quod idem præceperat Heros
Aonius, vitam sic abolere volens:
Corpore qui toto summis cruciatibus ardens
Arboris aggestum vellere sternit opus.
Imposita clauæ pariter ceruice recumbit,
Fatáq; sic hilari fronte suprema vocat.
Flamma viri teneros latè complectitur artus,
Is crepitante tamen viuus in igne manet,
Læditur & tantum matris quod origine traxit,
De Ioue quod sumpsit perdere flamma nequit:
Mulciber idcirco membris mortale caducis
Eximit, at superi restat imago Iouis.
Quadriiugo natum curru qui sustulit astris,
Esset vt æthereos inter & ipse Deos.

ALLEGORIA.

Casibus innumeris Tyrinthius æstuat Heros,
Dum scandit magni regna beata poli.
Ignauum trepidus qui dura pericula vitat
Atq; domi residet, præmia nulla manent.
Omnis ad eximios cui mens aspirat honores,
Ille manus operi fortiter iniiciat:
Sic qui cœlestis regni contendit ad aulam,
Non subterfugiat tristia multa pati:
Exilium, tormenta, fames, crux, carcer & ignis
Sunt vincenda pio, qui petit astra, viro.

Alcmena parit Herculem. V.



ALcmena vxor Amphitryonis, cùm ex Ioue Herculem cõceptum ob Iunonis odiũ parere non poſſet, Lucina partui præſes ab ea vocata, ad fores reginę venit, quę cùm in terra reſidens nexis manibus caneret, & ita Iunonis voluntate partu laborantem, retardaret, Galanthis miniſtra Alcmenæ ipſam conſpiciens prudenter fraudem hanc irriſit, & reginam peperiſſe, omníque dolore ſolutam mentita eſt. Lucina igitur manibus explicatis, Alcmenam cruciatu liberauit. Galanthis autẽ in muſtelæ figuram conuerſa eſt, vt ore etiam quo mentiebatur pareret.

ENARRATIO.

IN felix Dryope coniux Andramonis olim
Pergit ad Oechalici littora curua lacus.
Infamemq; sinu, qui non compleuerat annum
Gestat, ibi Nymphis sacrificare volens.
Ad gelidum Lotos florescit aquatica stagnum,
Oechalis hinc animo gaudia plena capit.
Nescia fatorum decerpit ab arbore ramum
Mater, quem nato porrigit alma suo.
Et quærit teneræ sic oblectamina proli,
Gutta sed è niueo flore cruenta cadit.
Dumq; sacros Dryope perdit non prouida fructus,
Hæret, & in trunci stipite fixa manet:
Arboream recipit nam cortice cincta figuram,
Læta tamen capitis forma prioris adest.
Concurrunt soror atque parens lugubria flentes
Fata, sed auxilium nullus opemq; tulit.
Illa diu vanos effundit in aëra questus,
Dum planè cortex omnia membra tegit.

ALLEGORIA.

Haud impune sacrum violauit fœmina lignum,
Est grauis admissum pœna secuta scelus:
Sic bona crudeles per fasq; nefasq; sacrata
Qui rapiunt, tristi morte perire solent.
Quosq; iuuat duro tenues ex osse medullas
Sugere pauperibus, iudicis ira premit.
In miseros homines tandem vertantur vt ipsi
Omnis & illorum fama decúsq; ruat.

Biblidis amor in fratrem. VII.



MIletus ex insula Creta profectus in Asiã, binos ibi ex Mȩandri filia liberos suscepit, Biblida & Caunum: Biblis autem ad annos aliquot progressa, cum fratre colludere, úmque osculari & amplexari ausa est, vnde paulatim scintilla illiciti in germanũ amoris creuit, adeò vt eum ardore plusquam pio prosequeretur. Cum igitur cupiditatis suæ vesaniam diutius compescere nequiret, illi flagrantem suum animum apperuit, sed Caunus rei indignitate & sororis impietate motus, petitionem hanc turpissimam recusauit.

ENARRATIO.

Filia Maeandri binos enixa gemellos,
In lucem viuum corpus vtrunq; tulit.
Accrescunt vnà soror & germanus, iisdem
Et studiis ambo ludere saepe solent:
Biblis at in fratrem paulatim concipit ignes,
Illius & collo brachia saepe iacit.
Oscula figit, amor cunctas augetur in horas,
Saepius ad fratrem culta nitensq; venit:
Non tamen omninò flammas vulgare latentes
Ausa, suo grauidum pectore celat onus.
Germanum vigilans per somnia cernit eundem,
Tempora nec placidae virgo quietis habet:
Continuo surgunt motus in corde vagantes,
Mens monet hoc, aliò caeca libido rapit.
Tandem cogit amor scriptis aperire dolorem,
(Protinus ad Caunum littera missa volat)
In quibus exponit vesani vulnera cordis,
Et Veneris telo pectora fixa soror.
His verò lectis subita Maeandrius ira
Feruet, & hoc summum iudicat esse nefas.

ALLEGORIA.

Admonet exemplum cunctos prudenter amantes,
Ausint ne turpi se maculare nota.
Illicito nimium neque constringantur amore,
Melle Venus primò dulcior esse solet,
Corq; subit tacitè viresq; acquirit eundo,
Donec ad interitum mortis agatur homo.

Biblis in fontem. VIII.



Biblis in fratrem Caunum mirifico amore inflammata, cùm animaduerteret litteras, quas ad ipsum dederat, nihil effecisse, libidine detestabili in dies magis magísque adaucta & incensa, propositum suum vrget, & Germanum ad incestum amorem allicere haud quaquã cessat. Caunus autem honestatis amans, ne tã horrendum perpetraret facinus à patria profugus euasit, cuius vestigia soror dum sequitur, multas nationes peruagata, tandem in Cariam venit, ibíque assiduo mœrore & fletu defatigata, in fontem deliçuit.


ENARRATIO.

A Cauno subitam Biblis perpessa repulsam,
Pectora sollicito plena pauore gerit,
Perturbata sedens, propria velut inscia mentis,
Languet, & ignauo frigore membra rigent.
Mens tamen vt rediit collecta, redire furores
Incipiunt, fratris corde resultat amor.
Illius & sensus partes agitantur in omnes,
Concubitum fratris luxuriosa petit:
Cúmque videt scriptas nihil effecisse tabellas,
Infœlix alias tentat adire vias,
Propositúmq; premit fœdum, nec desinit ardens
Germanum verbis sollicitare nouis.
Dúmq; ita blanditiis iuuenem sine fine fatigat,
A patria profugus cogitur ire domo.
Quem soror insequitur multis regionibus errans,
Attamen huic fratrem non reperire datur.
Propterea Biblis lachrymas effundit acerbas,
Et sic in gelidi soluitur amnis aquas.

ALLEGORIA.

Vir sapiens Cauni mores imitatur honestos,
Atq; procul Veneris gaudia praua fugit,
Et potius migrat patriis de mœnibus exul,
Crimina quàm petulans flagitiosa patret.
Sed qui luxuriam sequitur, ceu Biblis, inertem,
Ante Deum liquidæ diffluit instar aquæ,
Ipsius in tenues & vita resoluitur auras,
Transit, & haud longum perstat iniquus homo.

Lyctus & Telethusa vxor. IX.



PHæstos oppidum est in insula Creta, vbi Lyctus generosi animi ac prçstãtis fidei homo degens, ab vxore sua Telethusa iam grauida & partui vicina, petiit, vt si puellam pareret, eam statim interficeret, sin puerum sobolẽ patriæ conseruaret. Cúmque ambo coniuges pro futuro casu dedissent lachrymas, mater filiam ęnixa, manus ei afferre violentas nõ potuit. Isis autem Dea lugenti puerperæ adfuit, & ipsa infantem (patre filij opinione decepto) pro puero enutriuit.


ENARRATIO.

PHæstia progenuit tellus de nomine Lyctum,
Integra cui fuerat vita fidesq; virum:
Iußit hic vxorē, procul haud cùm partus abesset,
Quamprimùm per eam nata puella foret,
Tollere de medio (tenuis sors namq; premebat
Cressum nec validas pauper habebat opes)
Hinc metuit ne poßit egens educere prolem,
Aut certa natam dote beare suam.
Propterea fœtum mandat iugulare recentem,
Ast orat superos nocte dieq; Deos,
Masculus vt lucis felix edatur in auras,
Quem vixisse parens, & superesse cupit:
Præcipit inuitus, lachrymas cum coniuge fundens,
Lyctus tam tristem terrificámq; necem.
Pauperies at eum moliri talia cogit,
Incidit in luctus hinc Telethusa graues,
Fœmineamq; sua sobolem protrudit ab aluo,
Editus ast patri dicitur esse puer:
Inachis infantem Dea nam sibi sumit alendum,
Et carnem teneram morte perire vetat.

ALLEGORIA.

Se quicunq; cupit nexu vincire iugali,
Tam graue non demens aggrediatur opus.
Sed sibi res curet varius quas exigit vsus,
Ne iunctus vitam coniuge ducat inops.
Ad mala sæpe bonos adigit deformis egestas,
Faustus homo census cui mediocris adest.

Iphis puella in marem. X.



CVm Iphis puella iam ad maturam peruenisset ætatem, parens eam, falsus à coniuge, marem existimans, virginem formosissimã ex Theleste genitam ipsi despondit. Variis autem animi fluctibus, cùm æstuaret Iphis mater, valdéque metueret, ne Iphis puella cum infamia reperiretur, Dea Isis rursus auxilio Telethusæ rebus deploratis adfuit, & instãtibus iam nuptiis, vt matrimonium fieret legitimum, Iphin pu llam in puerum transfigurauit.

ENARRATIO.

Quę Telethusa parit, nutritur ab Iside fœtus,
Cultáq; præstanti virgo decore nitet:
Tertia sed decimæ iamiam successerat æstas,
Iphin cùm puerum credidit esse pater.
Huic igitur lætus pulchram despondet Ianthen,
Inter Phæstiadas quæ celebrata fuit.
Par ambobus erat iuuenili corpore forma,
Et paribus studiis incubuere simul:
Vnus & ambobus præluxit in arte magister,
Hinc subit amborum pectora primus amor.
Pòst noua sponsa nimis formosam diligit Iphin
Nam quod amat virgo iudicat esse marem,
Iphin & incendit, stimulatq; cupidinis æstus,
Sed premit affectus vix lachrymasq; tenet.
Se quia posse frui iusto desperat amore,
Iphidis & matrem cura dolorq; grauat.
Dum metuit sua ne fraus fiat aperta marito,
Quo circa duplices tendit ad astra manus,
Isidis auxilium summisso pectore supplex
Inuocat, afflictis fert Dea rebus opem,
Vtq; iugalis amor succederet omine fausto,
In pueri formam protinus Iphis abit.

ALLEGORIA.

Turbatas summo rerum discrimine mentes
Erigit, & miseros spes animosa fouet:
Spes iubet instabili numquam diffidere sorti,
Sed prece non dubia sollicitare Deum.

FINIS LIB. IX.

OVIDII METAM. LIB. X.

Euridice ſerpentis ictu moritur I.



ORpheus Apollinis & Calliopes (vel, vt alij volunt , Oeagri fluuij , & Polymniæ Muſæ) filius, Eurydicen in matrimonium duxerat: cum qua infauſto omine coniunctus, & ſi vitam aliquandiu tranquillam, & vt ſibi videbatur, beatam ageret, breui tamen fœdus coniugij morte Eurydices diſſolutum eſt: ea enim cùm aliquandiu aſſociata Nymphis, per prata ambularet, floréſque colligeret ſelectiſſimos, ictu ſerpentis in plantam infixo, ex hac mortali vita ad inferos emigrauit.

ENARRATIO.

THracius Eurydicen socio sibi iũxerat Orphe
Fœdere, quod fœlix non stabiliuit Hymen:
Ad festum frustra nam connubiale vocatur,
Affuit at secum gaudia nulla tulit:
Nec vultus hilares nec faustum præbuit omen.
Sed ferus auspicij tristia signa dedit.
Exitus hinc sequitur grauis & mœroris abundãs,
Coniugiumq; recens dißipat atra dies:
Nam noua nupta vagans, Nymphis comitata per
Dum picto flores gramine forte legit, (herbas
Ipsius in talum coluber penetrabile virus
Mittit, & ore micans tetra venena iacit.
Hinc tumor inuadit plantam lethalis, ad vmbras
Eurydice stygias lucis egena volat.
Coniugis interitu tristis prosternitur Orpheus,
Vxoris deflens fata suprema suæ.

ALLEGORIA.

Consortem thalami perdit Rhodopeius Heros,
Infernas adiit quæ Phlegetontis aquas:
Sic fit adhuc hodie quoties peccator amœnas
Mente voluptates illecebrasq; petit,
Delicias mundi captans floresq; caducos,
Mortis vt ad tenebras præcipitanter eat:
Nam Sathanas animam funesto sauciat ictu
Sæpius, excultas dum sibi quærit opes,
Et nisi nil carnis fragiles sectatur honores,
Vir probus æthereæ gaudia lucis amat.

Orpheus ad inferos descendit. II.



EVrydice mortua, tantum dolorē Orpheo marito attulit, vt eam non solùm acerbissimis defleret lachrymis, sed & arte sua ludendi cithara confisus, ad inferos descenderet: Quò cùm peruenisset Plutonem & Proserpinam citharæ adeò suauitate demulsit, vt vxorem ab iis reciperet, ea tamen lege, ne illam priùs quàm ad superos reuersus esset, intueretur. Orpheus autem dubitans, vtrum vxor eum sequeretur, respexit, statim igitur à Plutone ad inferos Euridice reuocata, maritum in maximis animi cruciatibus reliquit.

ENARRATIO.

Vxorem postquam vates defleuerat Orpheus,
Est etiam stygios ausus adire lares,
Persephonesq; domum, lethaeaq; tecta tyranni
Pulsat, & extincta coniugis ossa petit,
Suauiter & cythara ludit, dulcissima fundens
Carmina, queis animas duraq; saxa mouet:
Nam miseri flebant manes lachrymisq; rigabant
Eumenides mœstas, cunctaq; turba, genas,
Ipseq; dux Erebi sic mulcebatur amœnis
Cantibus, vt vati traderet Eurydicen:
Hanc tamen & recipit grata cum coniuge legem,
Lumina ne retro flectere pæta velit,
Tartara dum penetret tacitus vallesq; profundas,
Irrita vel prorsus dona futura sibi,
Ille sed vt superas gressu prope contigit auras,
Versus in vxorem lumina torsit amans.
Ex oculis igitur coniux euanuit Orpheus,
Adq; tenebrosas est reuoluta fores.

ALLEGORIA.

Si variis animam vitiis & crimine fœdo
Perdidit infœlix & miserandus homo,
Haud reparabit eam, nisi se demittat ad Orcum,
Et sua corde fleat turpia facta pio.
Lumina sed retrò decet haud infigere fluxis,
Quæq; breui finem sunt habitura, bonis.
Ad flammas Lothi quondam dum respicit vxor,
Vertitur in statuam (dura rigore) salis.

Orpheus cithara ludens. III.



ORpheus de vxore ſua recuperanda planè deſperans, à conſuetudine mulierum abſtinuit, nec vllam cum iis rem in poſterum habuiſſe creditur. Deinde ſe in montem Thraciæ contulit ibi dulcedine ac ſuauitate cantus omne penè ferarum genus, atque adeò cũctas fermè arbores ac plantas demulſit & ad ſeſe allexit. Inter quas & Pinus Cybiles arbor erat, in quam Atys olim puer eximia pulchritudine fuit commutatus.

ENARRATIO.

Moestus agit vitā gemina nece cōiugis Orphe⁹
Dum licet Eurydicen non reparare suam,
Namq; domos iterum Plutonis adire volentem,
Pellit, & immanis portitor inde fugat.
Attamen in ripa septem sedet ille diebus
Squalidus, ac Cereris munere tristis eget.
Cura, dolor, lachrymæ, luctus alimenta ministrant,
Inq; Deos Erebi liuida verba iacit.
Deniq; spem prorsus postquam sibi cernit ademptā,
Telluris superæ limina rursus adit,
Et Rhodopen sese recipit, Veneremq; perosus
Fœmineam, vitæ tempora solus agit,
Tangens & citharam suauissima carmina promit,
Motio qua brutis arboribusq; venit.
Accedunt tiliæ molles, acer, æsculus, ilex,
Nux, abies, Lotos, ficus & vlnus adest.
Nec desunt ornus, vitis, tenuesq; myricæ,
Nec quæ victorem florida palma decet,
Nec pinus viridans in quam Cybeleius Atys
Percitus insano turbine versus erat.

ALLEGORIA.

Afflictas multum recreat bona cantio mentes,
Luctibus & duris corda leuare potest.
Carmina ceu mulcent animos, ita Musica pectus
Commouet, æterno fit quoq; chara Deo.
Sacros præsertim si conuertatur in vsus,
Regius hinc vates iubila sæpe canit.

Cyparissus puer in arborem. IIII.



CYparissus Amiclei filius, ex insula Cæa oriundus, vehementer ab Apolline dilectus, Ceruum auro gemmísque ornatum, Nymphis sacrum & sibi maximopere charum, per imprudentiā sagitta trāsfixit, cuius morte deinceps tantis doloribus est affectus, vt sibimet manus inferre violentas conaretur. Hunc autem Apollo ex imminenti periculo liberans mediis hærentem cruciatibus, in arborem Cypressum transmutauit.

ENARRATIO.

SAcratas quondam Carthea tenentibus arua
Nymphis, ingenti robore ceruus erat.
Cornua fulgebant auro gemmísq; decora,
Argento fuerat cinctus vbiq; caput.
Pendebant pariter preciosa monilia collo,
Intrabat posito sæpe pauore domos.
Et se mulcendum manibus præbere solebat,
Sed tamen imprimis ô Cyparisse tibi.
Longè præ reliquis Cææ pulcherrime gentis,
Dulcia qui bruto pabula sæpe dabas.
Ducebas liquidi sitientem fontis ad vndas,
Oráq; frenabas illius instar equi.
Aestus erat magnus media sub parte diei,
Vmbra cùm ceruus corpora fessa locat.
Hunc puer imprudens figit Cyparissus atroci
Vulnere, quo subito morte solutus obit.
Indoluit iuuenis, sibimet quoq; funera quærit,
Ac gemitu crebro tristia corda grauat,
Munere sed Phœbi largo fit mœsta cypressus,
Funereis arbor scilicet apta rogis.

ALLEGORIA.

Exequiis olim fuit addita nigra cypressus,
Namq; semel nunquam cæsa virere solet:
Sic homo qui misero semel emigrauerit orbe,
Ad superos hausta luce redire nequit.
Et quam præteriens manet irreuocabilis hora,
Tam citò non reuolans gloria nostra cadit.

Ganymedes

Ganymedes in cælum euectus. V.



GAnymedes filius Trois regis puer erat eximia facie, & admiranda corporis formositate præditus: quem Iuppiter tanto est amore persecutus, vt ipse in Aquilæ formam transmutatus, puerum ad se se in cœlos eueheret, mensæque suæ præficeret, vt eius minister ac pincerna foret. In illum verò Iouis vxor Iuno tanquam impatiens socij, summa inuidia & offensione fuit commota.


ENARRATIO.

Cantando syluas Rhodopeiꝰ attrahit Orpheus
  Atq; feras modulans inter auesq; sedet.
Cumq; satis ductos tentauit pollice neruos,
  Et chordis lepidos sensit inesse sonos.
Carmina nostra moue, capit modulamina cantus,
  Ab Ioue Musa parens, carmina nostra moue:
Rex olim superum feruentes concipit ignes,
  Inuadit Phrygij quem Ganymedis amor.
Egregius puer ille fuit facieq; decorus,
  Effulsit niueo cuius in ore rubor.
Iuppiter ergò sibi peregrinam sumere formam,
  Ac tacitè puerum sic rapuisse cupit:
Sed nullo prorsus dignatur is alite verti,
  Quàm sua quæ terris fulmina sæua gerit.
Nec mora diuiso pernicibus aëra pennis
  Iliadem secum celsus ad astra leuat.
Qui nunc inuita vinum Iunone coronat,
  Et Iouis ad mensam ritè minister adest.

ALLEGORIA.

Idæus veluti puer est ad sidera tractus,
  Cui facies claro pulchra nitore fuit.
Sic etiam Christi mens iusta meretur amorem,
  Quæ noua virtutis veste recincta nitet.
Hanc Deus è vario mundi discrimine transfert,
  Mitis ad excelsi regna beata poli.
Hic vt in æternum diuina luce fruatur,
  Gaudia cumq; Deo non fugitura trahat.

Hyacinthus in florem. VI.



HYacinthus Amiclæ & Diomedis filius, ab Apolline dilectus, cùm per iocum & imprudentiam cum ipſo in certamē diſci deſcenderet, pondus à Phœbo altius iactū, prius haud accipere valuit iuuenis, quàm in caput eius magno cum impetu decideret. Quo ictu in terram ſubitò proſtratus, nullum prorſus admiſit remediū, quod vulnus curare, ipſumque reficere poſſet. Hyacintho igitur ſic moriente, cruor emanans ab eodem Apolline in florem eiuſdem nominis eſt conuerſus.

ENARRATIO.

PHœbus Amyclidæ ſtolido vexatur amore,
Ac flammas tacitè luxurioſus alit.
Tempus at inciderat quo conuenere iocantes,
Et diſci luſus inſtituere graues.
Maſſam principiò libratam torſit in altum
Phœbus, & ad nubes mox penetrauit onus,
Ac longo ſolidam tetigit pòſt tempore terram,
Orbem dehinc iuuenis tollere promptus erat:
Sed prius emiſſum delabitur æthere pondus,
Et lædit vultus ô Hyacinthe tuos,
Proſilit accepto calidus de vulnere ſanguis,
Æquè palleſcit, quàm puer, ipſe Deus,
Qui refouens iuuenem collapſos excipit artus,
Protinus & medica vulnera ſiccat ope,
Admotiſq; animam labentem ſuſtinet herbis,
Sed fruſtra pulcher mox Hyacinthus obit,
Hinc nimio cordis mœrore repletus Apollo
Ingemit, & pueri funera mœſta dolet:
Sanguis at in florem rutilus mutatur olentem,
Ne prorſus iuuenis concidat omnis honor.

ALLEGORIA.

Qui certare cupit, pugnaſq; ſubire feroces
Athletas iſta quærat in arte pares:
Nam qui maiores iuuenili pectore flagrans
Deſpicit, is capiti nil niſi damna ſtruit.
Præcipiti feruore Dares animoq; ſuperbus
Corruit, Entellus præmia victor habet.

Ceraſtæ in boues. VII.



AMathus oppidum in Inſula Cypro eſt cuius incolæ nefaria & impia conſuetudine ſoliti ſunt ad arã Iouis, quæ proxima erat Deæ Veneris, aduenas ac hoſpites obtruncare & ibidem immolare, quorum crudelitate Venus offenſa, ne vel locum ſedémque mutare cogerentur, vel aliquod necis ſupplicium in eos ſtatueretur, in boues illos conuertit, quæ à magnitudine cornuum Ceraſtę à Salaminiis ſunt nominati.


ENARRATIO.

Est vrbs in Cypro multis fœcunda metallis,
 Nomen apud ciues hæc Amathuntis habet.
Quam truculenta nimis gens incoluere Cerastæ,
 His stetit ante fores hospitis ara Iouis.
Semper abundabat quæ sanguine tincta recenti,
 Semper & effusi plena cruoris erat.
Hanc qui præteriit, mactatos credidit illic,
 Aduena, cornupetas occubuisse boues.
Seu vitulos, agnos et oues cecidisse tenellos,
 Ara sed humana cæde cruenta fuit:
Nam quoties ibi fecit iter peregrinus et exul,
 Præbuit haud illi semita tuta viam.
Ceruicem subitò strictus iugulauerat ensis,
 Hæc rigidæ turpis victima gentis erat:
At Venus omnino sacris offensa nefandis,
 Fœda Cerastarum crimina ferre nequit.
Exilij pœnam dubitat, seu mortis acerbæ
 Infligat populis, versa figura placet:
Protinus in toruos abeunt his membra iuuencos,
 Cornua qui dura fronte recurua gerunt.

ALLEGORIA.

Cypria gens truculenta, ferox, inimicáq; sanctis
 Hospitibus, plenum cor feritatis habet.
In tauros igitur tandem mutantur agrestes,
 Membra quibus sæuo tacta ligone cadunt.
Heu quod adhuc scelus hoc homines imitãtur iniqui
 Hospitij miseris qui pia iura negant.

Effigies eburnea in hominem. VIII.



PYgmalion Rex Tyri offensus impudẽtia vulgari propęditum, quæ à Venere propter obscœnitatem in lapides erant conuersę, vitam cęlibem exigere statuit, qui cùm effigiẽ virginis ex ebore sculpsisset, captus specie eius pulcherrima in amorẽ incidit, & petiit à Dea Venere, vt eiusmodi vxorem sibi largiretur. Venus igitur statuæ, quã in lectũ ipse collocarat, eburneę animam inspirauit. Ex hac vxore sua deinde Rex Paphum filium genuit, qui in insula Cypro oppidum sui nominis extruxit.


ENARRATIO.

Viuere Pigmalion statuit sine coniuge cælebs,
Gaudia nec sacri dulcia nosse tori,
Iamq; diu thalami consorte carebat amica,
Et secum solus degere suetus erat:
Interea tamen hic propria fœliciter arte
Vitam quod iures ducere, scalpit ebur:
Virgineam gestat faciem præsignis imago,
Non aliter quàm si membra mouere queat.
Arte sua gaudens feruentes concipit æstus
Pygmalion, vani spes & amoris alit:
Oscula dans operi nutrit sub pectore flammas,
Sit veluti dubitet corpus an illud ebur.
Vestibus exornat simulatos insuper artus,
Annulus in digitis gemmaq; pura nitet.
Mollibus in plumis tandem simulachra reponit,
Ac Veneris precibus numina sancta vocat,
Vtq; suos tali cum coniuge transigat annos,
Quæ referat ficti corporis ossa petit.
Extemplò viuum membris Venus alma calorem
Indidit, & nupsit sculpta puella viro.

ALLEGORIA.

Coniugio quicunq; cupit fœlice potiri,
Hoc sine diuina non potietur ope:
Vxor amica placens & moribus aucta pudicis,
Est à clementi sæpe petenda Deo:
Quam graue sit motus etenim frenare vagantes,
Edocet ardescens Pygmalionis amor.

Myrrha ſibi laqueo mortem conſciſcere cupit. IX.



MYrrha Cinyræ Cypriorum regis & Cē-chreidis filia, iracundia Veneris, quod mater eius pręferretur Deę, in patrē impio amore exarſit. Cæterùm nullam explendi ſui deſiderij rationem inueniens, vitam laqueo finire conſtituit. Quam in cubiculo ſuſpenſam & adhuc gementem, cùm nutrix audiret, & cauſam mortis ex ea clàm quæreret, effecturam ſe promiſit, vt cum parente ſine vllo infamiæ periculo coniungi poſſit.

ENARRATIO.

Myrrha suum fœdo dilexit amore parentem,
Quamuis à multis est adamata procis
Huic tamen infudit scelerata libidinis ignem
Fortiter Eumenidum de tribus vna soror.
Vt patre cum Cynira vetit . concumbere lecto
Vellet, & infami se maculare toro,
Vulnus alit venis rabidos vix opprimit æstus,
Nec requiem placidi nocte soporis habet.
Sæpe pater dixit, tibi delige nata maritum
Quem cupis, hunc ipsum me tribuente feres.
Hæc silet, ac tepidis suffundit lumina guttis,
Aestuat, & sceleris conscia mente furit.
Post vbi lasciuos planè desperat amores,
Molitur laqueo stringere colla sibi,
Appendit Zonam summo de poste reuinctam,
Chare pater dicens, iam moritura vale.
Verborum strepitum nutrix audiuit, & illam
Eripiens, instans mortis abegit onus.
Cumq; parente nouam Venerem promisit eidem:
Fiet, ait, votis vt potiare tuis.

ALLEGORIA.

Exemplum tetri proponitur illud amoris,
Discat vt incestum quisq; cauere scelus:
Nam natura vetat se tam fœdare nefando
Crimine, sunt furiæ talis origo mali.
Instillat Sathanas diros in corde furores,
Nec cadit in iustum culpa scelúsue Deum.

Myrrha cum parente concumbit. X.



ANus Myrrhæ nutrix, singularem quandã viam excogitauit, qua patris amore filia potiri posset. Accidit autẽ, vt mater eius die solenni, primitias offerẽs Cereri, à viro ceu moris erat, secubaret: Myrrhã igitur anus noctu ad parentem Cinyram in lecto cubantẽ (forma eius vt alienæ puellæ, multũ prius laudata) introduxit: qui post quam cum ea rẽ habuit, lumen concubinæ inspiciendæ gratia sibi afferri iussit, filiam autẽ esse cernẽs, stricto gladio eam insecutus est, donec è manibus eius, noctis præsidio elaberetur.

ENARRATIO.

Festa dies aderat multo solennis honore
 Qua Cereri matres sacrificare solent,
Pérque nouem Veneris vitant consortia noctes
 Has inter coniux regia prima fuit.
Ergò dum socia Cinyræ iam strata carebant,
 Infandos nutrix est meditata dolos.
Inq; nouos regem miserè traduxit amores,
 Munere cùm Bacchi fortè grauatus erat:
Nam facie pulchram mentitur adesse puellam,
 Ad se quam Cinyras feruidus ire iubet.
Producit Myrrham nutrix iam nocte silenti,
 Ignari thalamos quæ genitoris adit.
Lumen abest lecto, nox atra cubile recingit,
 Adde quod hoc facinus Luna vel ipsa fugit:
Clara tegunt pariter nigrantes sydera nubes,
 Cùm patris ascendit filia fœda torum.
Visceribus sed vbi Cinyras sua viscera natæ
 Miscuit, & dictu turpe patrauit opus,
Crimine detecto Myrrham petit ense nitenti,
 Effugit hæc patrias læta per arua minas.

ALLEGORIA.

Flagitiis hominum cœli turbatur imago,
 Nec facies astris forma priórque manet.
Machina terrestris scelus ob crudele tremiscit,
 Sæpius & gemitus dant elementa suos.
Talia sed cuius tangunt spectacula mentem:
 Heu vetus antiquo tramite currit homo.

Myrrha in arborem. XI.



MYrrha parentis iram euitans, in Sabæam peruenit, quæ cùm se grauidam incesto cõcubitu sentiret, tam vitæ fastidio quàm mortis metu est affecta, & crimen suum palàm cõfessa, Deos obnixè rogauit, vt neque superstes viuos neque mortua extinctos, offenderet. Hæc igitur ab iis exaudita in arborem Myrrham euasit. Infans autem Adonis cortice adhuc inclusus, à Nymphis post natiuitatem suã, propter egregiam corporis formam, est enutritus.

ENARRATIO.

Myrrha patrem fugiēs, tandem tellure Sabaa
 Ventre diu portans fessa quieuit onus.
At necis vt pauor hanc miserandáque tadia vita
 Afficiunt, sic est ore precata Deos,
Numina peccaui fateor, nec triste recuso
 Supplicium, grauidus iam mihi partus adest.
Ergò mihi vitam mortémque negate supremam,
 Lux ingrata manet, mors mihi dura venit.
Hæc vbi dicta citò, ruptos incurua per vngues
 Porrigitur radix ossáque robur habet.
Fortiter excrescunt in magnos brachia ramos,
 Decolor in succos deniq; sanguis abit:
Exteriórque cano duratur cortice pellis,
 Arboris & speciem Myrrha puella gerit.
Dehinc patre conceptus sub robore nascitur infans,
 Cui Lucina suas admouet ipsa manus,
Vt prodire queat duro de cortice fœtus
 Integer, en rimas protinus arbor agit.
Egrediénsque puer vagitus edit amaros,
 At vice Naiades hunc genitricis alunt.

ALLEGORIA.

Myrrha velut sanctis placat pia numina votis,
 Nec pro commisso crimine tota perit:
Sic peccator homo sua qui malefacta fatetur,
 Haud pla·ido Christi munere prorsus obit.
Dum modo quas meruit pœnas non ferre recuset,
 Deijcit & tollit rursus ad astra Deus.

Venus & Adonis. XII.



ADonis ex incæſto Cyniræ & filiæ eius Myrrhæ concubitu natus, tãtæ fuit pulchritudinis, vt eius amore Venus ipſa (Cupidinis beneficio) caperetur, vtque diutius illius conſuetudine frui poſſet, vnà cum eo venationibus indulgebat, ac præcipuè fugacia ſequebatur animalia, feras autem armatas vitabat, Adonímque, vt ſibi ab iiſdem diligenter caueret, fideliſſimè hortabatur.

ENARRATIO.

EXcrescit Myrrhæ de cortice natus Adonis,
Aptáq; formoso corpore membra gerit:
Fit puer egregius, nec eo præstantior alter,
Diligit hunc miris & Cytheræa modis,
Ac iuuenis sequitur tacitis vestigia plantis,
Propter & hunc alto labitur vsq; polo.
Hunc amat, huic densis comes est amathusia syluis,
Dum gaudet pauidis tendere lina feris:
Per dumos eadem frutices & saxa vagatur
Læta, gerens habitus casta Diana tuos.
Venatur Damas agiles in retia ceruos,
Pellit & in lepores excitat vsque canes.
Illa tamen prudens à fortibus abstinet apris,
Nec gaudet sæuos exagitare lupos.
Vitat & horrendis armatos vnguibus vrsos,
Hoc vt idem facias te quoq; Adoni monet,
Illius & caueas temerarius esse periclo,
Impetus est magnis iráque vasta feris.

ALLEGORIA.

Mitia per totas pereunt animalia syluas,
Et capiunt paruas retia tensa feras:
Vix tamen est ausus venator adire leonem,
Sæpius euadunt lynx, aper, vrsa, lupus,
Sic humilis, iustus, simplex & fraudis egenus
Semper in hoc variis tunditur orbe malis:
Sed truculentus homo, polypragmon turpis & effrōs
Vi superans alios cuncta licenter agit.

Atalanta

Atalanta & Hippomenes. XIII.



ATalanta Schœnoei regis in Scyro filia, pedum agilitate præstans, oraculũ de matrimonio cõtrahẽdo cõsuluit, quod ei respõdit, vt à cõiugio prorsus abstineret. Cum autẽ multi proci eã ambirent, hac lege cũ ipsis cursu certauit; vt is à quo victa foret, illius coniux esset quem verò ipsa superaret, mortis discrimen subiret. Plurimis igitur à virgine deuictis & occisis, tandem Hippomenes Megarei filius, ex progenie Neptuni, cum ea in certamen descendit, & ope Veneris victoriam reportauit.

ENARRATIO.

Virgo fuit præstans celeris certamine cursus,
 Fertur pernices quæ superasse viros.
Filia regis erat specie pulcherrima Schœnei,
 Vxorem multi quam petiere proci:
Posse suum fieri quenquam negat illa maritum,
 Ni cursus acri victor agone foret.
Præmia velocem coniux thalamíque manebant,
 Mors tardis precium: Lex ea lata fuit.
Venit ad hoc pactum confidens turba procorum,
 Vincebat celeri quos Atalanta pede.
Hippomenes claro tandem de stemmate prodit,
 (Numine commotus sic Cytherea tuo.)
Aurea nam secum tria poma gerebat amantis,
 Inter currendum quæ cecidêre sinu.
Hæc dum virgo cupit sibi tollere, præterit ipsam
 Hippomenes, palmæ debita dona ferens.

ALLEGORIA.

Ceu Schœnei sobolem cursu tria poma retardant,
 Ne pedibus metam tangere prima queat:
Sic hominis tria sunt oblectamenta salutis,
 Quæ prohibent rectum ne peragamus iter:
Deliciæ molles, lucri scelerata cupido,
 Sollicitaq; fugax ambitionis honor.
Hæc quoties sequitur, mundanáq; præmia captat,
 De vitæ cursu tramite flectit homo:
Vincitur à Sathana, qui munera talia nobis
 Proiicit, vt cœli præripiatur honos.

Hippomenes & Atalanta in leones. XIIII.



HIppomenes cùm tribus malis aureis de se proiectis, Atalantã in cursus certamine pręperediret, victoriã obtinuit. Verùm quia ingratus aduersus Venerẽ Deam est inuẽtus, vnà cũ vxore improbitatis ac sceleris sui pœnas dedit: Nam postquã impulsu eiusdẽ Deę lucum matris Deorum ambo trãsgrediuntur continere affectus suos non potuere, quin omni religionis cultu posthabito, in loco sacrato concumberent, quamobrem à Dea in leones sunt commutati.

ENARRATIO.

Hippomenes ductu Veneris sua dona reportat,
Ast ingratus ei thura nec vlla dedit.
Hunc igitur contra subitam Dea concipit iram,
Vltrò post sequitur non fugienda scelus.
Cum consorte tori pulchra Megareius Heros
Transibat matri templa sacrata Deûm:
Sed non affectus poterant cohibere pudendos,
Turpis & illorum cor stimulabat amor.
Concumbunt vnà tacito prope fana recessu,
Qui locus est prisca religione sacer.
Heu sanctam maculant ædem Diuisq; dicatam,
Nec vetito dubitant se temerare probro.
His offensa dolet mater veneranda Deorum,
Mergat eũ in stygios ambigit hosce lacus.
Pœna placet leuior, veterem mutare figuram
Scilicet, & vultus attribuisse nouos.
Vertitur in sæuos citò corpus vtrunq; leones,
Tempus & in syluis fœmina virq; trahunt.

ALLEGORIA.

Qui benefacta Dei fida non mente recondit,
Haud est humano nomine dignus homo.
Immemores igitur sua tandem pœna coercet,
Flagitium nec enim fœdius esse potest,
Quàm non pro meritis dignas persoluere grates,
Et tamen hoc latè crimen vbique patet:
Maxima pars orbis malè nunc benefacta rependit,
Mens leuis est hominum gratia prisca perit.

Adonis in Anemonem florem. XV.



ADonim Cinyræ & Mirrhæ filium, Venus, quem ſummopere diligebat, in venationibus fideliter admonuit, vt à feris armaris & truculentioribus abſtineret. Is autem adhortationes haſce parùm curans, ad aprum propius acceſſit, & ab eo circa inguina ſauciatus occubuit, cuius cruor deinde eiuſdem Deæ beneficio, in florem purpureum, quem Anemonem nominãt, eſt conuerſus.

ENARRATIO.

Hortatur Cytherea feras vt videt Adonis
  Pectora, quæ telis opposuisse solent:
Ille sed à monitis aures auertit, & hirtum
  Aggressus valida cuspide tangit aprum,
Excutit incuruo citò sus venabula rostro,
  Ictibus & dentes obiicit vsque suos.
Pòst ferus insequitur multis conatibus hostem,
  Ac iuuenis frendens inguina lædit aper.
Et corpus fulua moribundum sternit arena,
  Conspicit ista dolens aëre vecta Venus,
Exanimemq; suo voluentem membra cruore
  Cernit, dum calido sanguine fœdat humum:
Desilit è cœlo Dea tundens pectora palmis,
  Tristitiaq; suas dilaniata comas.
Ne tamen omnino iuuenis monumenta quiescant
  Sanguis habet floris nunc simulacra rubri.

ALLEGORIA.

Difficiles tentat quicunque subire labores,
  Et supra vires grandia cœpta mouet,
Ille suo capiti clades accersit amaras,
  Quod tua mors nobis pulcher Adoni probat.
Ergo sibi caueat minor irritare potentem,
  Nam constat longas regibus esse manus.
Res cadit haud adeò bene sollicitare tyrannos,
  Si quis & abiecto gaudet adire metu.
Ales fulminiger pacatos vincit olores,
  Nec frustra miluum parua columba timet.

FINIS LIB. X.

OVIDII METAM.

LIBER XI.

Orpheus à Bacchis mulieribus interficitur. I.



ORpheus Oeagri fluminis & Calliopes filius, mulierũ consuetudinẽ post amissã Eurydicen prorsus aspernabatur. Quam ob causam Threiciæ mulieres, Bacchi sacra celebrantes, ipsum in ferarum cœtu cantantem, eásque suauiter demulcentem, magno cum impetu inuaserunt & membra eius dilacerantes, de sua immanitate non prius destiterunt, quàm ipsi omninò vitam adimerent: & crudelem interitum afferrent.

ENARRATIO.

CArmine cùm longo syluas mulceret opacas
Threicius vates, saxa feras q; trahens,
Et pòst Eurydicen viduam sine coniuge vitam
Transigeret cithara tædia mœsta leuans:
Ecce nurus Ciconum furiis immanibus acta,
Fata viro properè sanguinolenta parant,
Pellibus armatæ circum præcordia duris,
Orphea de summo vertice montis agunt:
E quibus vna ferox robustis viribus hastam
Firmiter in vultus vatis & ora iacit.
Altera pòst lapidem mittit, sua quælibet arma
Gestat, & in miserum vi petulante ruit:
Fit strepitus iunctæ poscunt ad funera vatem,
Qui frustrà duplices tenuit ad astra manus:
Nec prius absistunt ictus geminare feroces,
Quàm de pallenti spiritus ore fugit.

ALLEGORIA.

Esse docet, nullum sic implacabile monstrum,
Fabula, quàm mulier mota furore suo.
Quæ neq; sermonis dulcedine flectitur vlla,
Nec sinit effusas pondus habere preces:
Sæpius horrendo rapidum mare vertitur astu,
Salsa q; ventosis fluctibus vnda tumet,
Ignis & ad cœlos flammis crepitantibus exit,
Absumens villas oppida, rura, pagos,
Tāta sed hæc nunquā portant incommoda, quantū
Exitij vecors fœmina ferre solet.

Lyram & caput Orphei Hebrus excipit. II.



ORpheum à Bacchis mulieribus crudeliter interfectum, Nymphæ, arbores, ſaxa, feræ miſerandum in modum deflebant. Mulieres autem indignatæ, caput eius à membris auulſum, vnà cum lyra in flumen Hebrum proiecerunt, quæ cùm in mare, & hinc in inſulam Lesbon, delata eſſent, ſerpens quidem horribilis caput Orphei dilaniaturus, ab Apolline in ſaxũ conuerſus eſt,

ENARRATIO.

Vatis Apollinei postquam miserabile corpus
Mænades atroci diripuere manu:
Illius interitum silices, mœstaq; volucres
Et frondes nemorum funera sæua dolent.
Plurima depositis luget quoque frondibus arbor,
Augentur lachrymis flumina quæque suis.
Naiades & ventis prabent diffundere crines,
Dum vatis sparsim membra iacere vident.
Pòst caput atq; Lyrã circunfluus excipit Hebrus,
Ambo quæ Lesbi litus ad vsq; natant.
Obstitit hic serpens, sparsosq; cruore capillos
Lambit, & in vultus oraq; tota ruit,
Conaturq; caput rabido diuellere morsu,
Sed mox propicio numine Phœbus adest.
Mutat & in lapidem corpus lethale draconis,
Trux & adhuc rictus pandit imago suos.

ALLEGORIA.

Ora velut vatis morsu lacerauit acuto
Serpens, qui silicis nunc monumenta gerit:
Oblatratores sic inueniuntur amari,
Qui bona non raro carpere scripta solent,
Vulnificoq; sacros arrodunt dente Poëtas,
Nil tamen hi dignum promere laude queunt.
Innumeros reperis qui non maledicere cessant
Immeritis: tantùm liuida lingua valet.
Sæpius hæc nomen lædit, famaq; bonorum
Detrahit, ac veluti lethifer anguis obest.

Optio Midæ. III.



MIdas, Phrygiæ Rex, Silenũ Bacchi famulum à rusticis captũ, sibîque traditum, Baccho reddidit, ob quod beneficiũ optandi facultatem à Deo consecutus est. Cùm igitur rex, vt quæcunque attrectaret, aurum fierent, petiisset, voti compos est redditus: & quicquid attigit, aurum euasit, adeóque cib⁹ & potus, vt nihilo amplius vesci posset. Tandem stultitiam suam agnoscẽs Midas, à Baccho iussus est se totũ in flumine Pactolo lauare, hinc aqua illa aurei coloris esse cœpit.

ENARRATIO.

Silenum Bacchi famulum gens rustica quondam
Cepit, & hunc regis traxit ad ora Midæ:
Reddidit at seruum iuueni dux mitis alumno,
Munera quæ Bromio grata fuêre Deo.
Accipit hinc aliud donum Berecynthius heros,
Optandiq; viro copia plena datur.
Corpore quicquid (ait) tangam vertatur in aurum,
Hæc rogo sit voti portio certa mei.
Annuit optatis Liber, meliora sed illum
(Cui nihil obstiterat) non petiisse dolet.
Succedit votum Regi, sed munera demens
Aurea contactu fert nocitura sibi:
Namque cibus vacuam nullus descendit in aluum,
Ac radians aurum potus & esca fuit.
Ergò petit primis Phrygius contraria votis,
Et sua pactolo flumine membra lauat,
Eluit hic crimen Baccho monstrante nefandum,
Rursus & in ventos optio turpis abit.

ALLEGORIA.

Ante Midas oculos regem proponit auarum,
Feruida multarum quem sitis vrget opum:
Hoc vitium latè constringit vbique potentes,
Pythion haud impar sollicitauit amor.
Cœlitus at Solomon optandi munera nactus,
Non petit immensas quas amat orbis opes,
Vt mentem potius sapientia vera gubernet,
Orat & à Domino munus vtrunque tulit.

Midæ aures in Aſininas. IIII.



MIdas facultatem auri efficiundi, opéſque peroſus, in ſyluis degebat, Panáque paſtorum Deum colebat, qui cùm fiſtula inuenta, ſibi multùm Nymphis placere videretur, Apollinem in certamen prouocauit, Tmolo montis Deo, iudice conſtituto, à quo Apollini victoria aliis omnibus aſſentientibus, eſt attributa, id autẽ ſolus Midas pro ſua ſtultitia improbare auſus eſt. Qua re Apollo offenſus, Midæ aures in aſininas conuertit, vt eius ſtoliditas omnibus innoteſceret.

ENARRATIO.

Optio stulta Midæ dum nil prodesset, opaca
Quæsiuit nemorum lustra, perosus opes.
Pana Deûm reperit pastorem, carmina Nymphis
Iactantem, variis quæ sonuere modis.
Ausus erat Phœbi præ se Pan spernere cantus,
Hinc ad certamen promptus vterque venit.
Iudice sub Tmolo pariter contendere gaudent,
Sed palmæ victor præmia Phœbus habet.
Omnibus & Tmoli sententia lata probatur,
Obtuso solum displicet ista Midæ:
Humanas igitur perdit Berecynthius aures,
Quas in rege Deus non tolerare potest.
Inq; nouam Phœbo placet has mutare figuram,
Repletas villis instabilesq; facit.
Exurgunt aures tardè gradientis aselli,
Corporis at retinet membra priora Midas.

ALLEGORIA.

Competit in stupidos & auaros fabula reges,
Esse quibus cordi Musica vera nequit:
Nanque bonas spernunt indocti turpiter artes,
Nec studiis hilari mente fauere solent.
Plus apud hos aurum quàm sacra scientia pollet,
Sinceræ stolidi dum rationis egent.
Barbaries hodie plus quàm doctrina salubris
Efficit, & Musis paruus habetur honos.
Ingenium mundi crassum malus occupat error,
Et latet humana mens asinina cute.

Neptunus & Apollo. V.



APollo & Neptunus, cùm Laomedonta regem Troiæ, filiũ Ili, mœnia vrbis ædificãtem viderent, in humanã conuersi speciem aurum prius cum eo paciscẽtes, se opus quàm citissimè absoluturos, promiserũt Perfectis autem mœnibus pactionem initã Laomedõ prorsus negauit, hoc Neptun⁹ indignè ferens, diluuium agris Troianis immisit, Regemque, vt filiam suam Hesionem beluæ proiiceret marinæ coegit. Qua liberata ab Hercule, denuo fraudulentus est repertus, ideóque Hercules Ilium expugnauit.

ENARRATIO.

Moliri postquam Troiæ noua mœnia Phœbus
Neptuno iunctus Laomedonta videt.
Cœptaq; difficili surgunt immensa labore,
Auxilium defert promptus vterq; suum.
Humanam pariter ficta sub imagine formam
Sumunt, & regi mœnia celsa struunt.
Attamen ex auri pacto labor iste subitur,
Ecce breui magnum tempore stabat opus.
Rex precium negat, & verbis periuria miscet,
Vltio perfidiam mox comitatur atrox:
Nam Nereus conuertit aquas ad littora Troiæ,
Argolicosq; vago flumine perdit agros.
Poscitur æquoreo regis quoque filia monstro,
Herculis at forti salua fit ipsa manu.
Qui dum victor equos repetit pro munere dictos,
Laomedon simili præmia fraude negat,
Hinc capit Alcides periura mœnia Troiæ,
Cumq; suis vrbem depopulatur ouans.

ALLEGORIA.

Haud celare queunt homines periuria falsi,
(Cuius sunt oculis cuncta reclusa) Deûm,
Neglectamq; fidem sequitur sua pœna tyrannum,
Vltio seu Phrygium sanguinolenta petit.
Inuenies hodie periuros vndiq; multos,
Pollicitis alios qui recreare solent:
Ast vbi sunt tandem confecta negocia, seruis
Reddere mercedem, quam meruere, negant.

Peleus

Peleus & Thetis. VI.



PRoteus Deus marinus & vates, cum Thetidi Chironis filiæ prædixiſſet, ſi viro nuberet, fore vt natum parente ſuo fortiorē pareret. Iuppiter cum ea concumbere non auſus Pelea nepotem ſuum ad eius amorem incitauit. Is igitur virginē in ſpecu iacentē amplexus primùm ſpe ſua fruſtratus eſt, nunc enim in volucrem, nunc in arborem, nunc in Tygrim ſe Thetis transformabat. Tandem verò conſilio Protei, vinculis eam ligans arctéque tenens concubitu Nymphę potitus, ex ea Achillem Græcorum fortiſſimum progenuit.

ENARRATIO.

PRoteus æquoreæ Thetidi prædixerat olim,
Edens fatidico talia verba sono:
Concipe, nam natum paries, cui fortibus armis
Acta sui dabitur vincere magna patris.
Iuppiter idcircò Nymphæ connubia vitat,
Quamuis sub calido pectore flagret amor:
In sua sed mandat succedere vota nepotem
Pelea, qui promptè perficit illud opus,
Inq; specu Nympham (dum victa sopore iacebat,)
Obruit, & manibus colla retorta premit:
Illa sed in varias ibat mutata figuras,
Nunc fera, nunc volucris, nũc grauis arbor erat.
Territus Æacides diuos in vota vocabat,
E medio Proteus gurgite mersus, ait:
Cùm pòst Nympha Thetis sopita recũbet in antro,
Illius laqueis crura manúsque liga.
Nec te decipiat multis mutata figuris,
Sollicitè digitis sed preme quicquid habes,
Paruit his Peleus, Nympháque potitus, Achillem
Progenuit, quo non Hellade maior erat.

ALLEGORIA.

Pressa sopore Thetis media cum nocte quiescit,
Surripitur victæ virginitatis honor:
Sic homo dum genio, ventri crassóque veterno
Indulget, Sathanæ fune ligatus obit.
Dispulsis igitur cæcis de mente tenebris,
Ad vocem sponsi nos vigilare decet.

Chione à Diana sagittis confossa. VII.



PEleus fratre Phoco occiso, in exilium eiectus, ad Ceycé Trachinis, vrbis Thessaliæ regem, miserandum Dædalionis fratris casum lugentem, confugit. Nam Dædalion Luciferi filius Chionem habuit filiam, quæ cum ex Mercutio Autolycum, & ex Apolline Philamnoné peperisset, Dianæ forma se præferre ausa est. Dea igitur indignata, eā sagittis confecit, cuius mors Dædalioné tanto dolore affecit, vt seipsum ex Parnasi mōtis vertice, in mare præcipitem daret, ope autem Apollinis in accipitrem est conuersus.

ENARRATIO.

Nomine Dædalion fuerat dux Thessalus alto
Stemmate, Lucifero de Genitore satus,
Acer erat bellis ad vimq; paratus & arma,
Ipsius & placuit filia mille procis,
Hanc pariter Phœbus, Maiáque creatus amauit,
In Chionémque potens arsit vterq; Deus:
Quæ simul amborum geminos de semine fœtus
Concipit, hósque suo tempore læta parit.
Editur Autolycus primo, sequitúrque Philamnon,
Vnáque producit corpora bina dies.
Obfuit at Chionæ partus, quia turgida fastu
Contempsit formam pulchra Diana tuam.
Hinc Dea mota ferox odium concepit, & arcum
Intendens, manuum spicula torsit ope.
Lethalis linguam mox figit arundo superbam,
Effuso pariter vita cruore fugit:
Dædalion natæ fortunam luget acerbam,
Tædia nec lucis sustinuisse valet:
Vertice Parnasi præceps se mittit ab alto,
Accipitrem Phœbus quem citò fecit auem.

ALLEGORIA.

Exitium raro ventosa superbia vitat,
Et sua grandiloquus præmia fastus habet.
Os certè tumidum Deus execratur & odit,
Nos veluti Niobes fata docere queunt,
Turgida quapropter sulmittite corda superbi,
Sæpe fit vt turris fulmine tacta ruat.

Lupus in ſaxum. VIII.



ANetor armentorum cuſtos, quem Peleus ad Ceyca regem Trachinis adduxerat, refert quo pacto lupus horribilis, cui nemo reſiſteret auſit, & homines & armenta crudeliter interimat. Intelligens autem Peleus, hoc ſibi Pſamantes Nymphæ marinæ ira (quòd Phocũ ex ipſa, & Aeaco genitum interfeciſſet) accidere, ſuppliciter eam rogauit, vt de luppo pœnam ſumeret: Factum eſt igitur vt illa Thetidis etiã precibus mota, feram in ſaxum commutaret.

ENARRATIO.

PLurima Lucifero genitus miracula narrat
  Æacidæ, suasit cui sua culpa fugam.
Qui dum fortè diem vario sermone trahebant,
  Armenti pastor tristis Anetor adest:
O Peleu, Peleu venio tibi nuncius (inquit)
  Cladis inauditæ mens mihi plena metu.
Sol vbi iam medius paruas effecerat vmbras,
  Irruit in nostrum bellua vasta gregem.
Nempe lupus rabido sæuissima guttura pandens,
  Qui miseros auido deuorat ore boues.
Pars quoq; de nobis lethali saucia morsu
  Occidit, & tutus viuere nemo potest.
Extemplò Peleus Psamantes colligit iram,
  Prolis ob interitum tanta tulisse mala.
Ergò sibi donis Nympham, votísque benignam
  Reddit, & abiecta mente precatur opem.
Flectitur ad veniam Dea, præsidióque rogantem
  Munit, & in rabidum vertitur ira lupum:
Ne pariter posthac hominésque gregésq; trucidet,
  Protinus in saxum belua grandis abit.

ALLEGORIA.

Ceu lupus hic raptat pecudes, stragémque nefandam
  Edit, & in totum sæuit vbique gregem:
Sic hominem facinus quicunque patrauit iniquum,
  Conscia mens sceleris nocte diéque ferit.
Et secum diris gestant in cordibus hostem,
  Innocuo quibus est sanguine tincta manus.

Ceyx naufragio perit. IX.



CEyx Luciferi filius, fratris casu sollicitus, ad Clarium oraculum consulendum iter cùm institueret, diu ab Halcyone vxore eius detétus fuit: rege autem promittente, se intra duos menses reuersurum, à coniuge veniam eundi consequitur. Verùm in ægeo mari Ceyx graui orta tempestate, naufragiũ fecit: diúque in aquis tabulæ adhęrens, suæque saluti consulere volens, accrescentibus vndis miserè tandem extinctus est.

ENARRATIO.

FRatris ob interitum turbatus pectora Ceyx
  Responsum Clarij tentat adire Dei.
Ora sed Halcyones lachrymis maduere profusis,
  Hanc etenim tristis terret imago freti.
Rex tamen vrget iter, naues simul instruit altas,
  Iurans ad patrias velle redire domos,
Antè senescentem quàm Luna bis impleat orbem,
  Vxorémque bona mente valere iubet.
Vix famuli curuas soluunt à littore puppes,
  Mox tonat horrisonis fluctibus omne fretum,
Partibus oppositis nigranti turbine venti,
  Vndiq; concurrunt & fera crescit hyems.
Fit fragor vndarum strepitu pontúsque procellis
  Personat, & certum nauita nescit iter.
Deficit ars animósq; parum fiducia firmat,
  Hic stupet, hic duplices vertit ad astra manus.
Puppis ad extremum nimboso turbinis æstu
  Mergitur, & miserè multa caterua perit.
Æquoreis etiam Ceyx deletur in vndis,
  Halcyonémque suam mortis agone vocat.

ALLEGORIA.

Degimus expositi variis sine fine periclis,
  Nec vitæ nobis exitus ipse patet:
Mors species habet innumeras fraudésque nocendi,
  Expectat lethi quemlibet atra dies.
Diuersa ratione tamen secedimus omnes,
  Namq; genus cunctos & necis hora latet.

Halcyone ſupplicat Iunoni. X.



HAlcyone mariti ſui Ceycis aduentũ magno expectans deſiderio, quia præſtituto tempori non reſpondiſſet, indies maiori luctu afficiebatur, metuens, ne in nauigatione periculoſa vitam finiſſet. Supplicabat igitur Diis, & imprimis Iunoni eámque ſubmiſſe obteſtabatur, vt Ceyca (qui amplius in viuis non erat) ſaluum & incolumen reduceret. Iuno autem Iridem ad ſomnum miſit, qui Halcyonē per quietem Regis interitum aperiret.

ENARRATIO.

AEolis expectans fidum Ceyca maritum,
Anxia sollicito corda tremore grauat.
Nescia naufragij licet attamen vsque reuoluit,
Et secum reputat fata seuera maris,
Dinumerat noctes crebro metámque dierum
Computat, & reditus coniugis vnà cupit,
Aduentúmq; sibi regis promittit inanem,
Omnibus & supplex fert pia thura Diis:
Sed sacra præcipuè Iunonis templa frequentat,
Illius & magno numen honore colit:
Accumulátque frequens multis altaria donis,
Irrita próque suo coniuge vota facit:
At pro defuncto longum non diua rogari
Sustinet, aut pauido corda tenere metu.
Propterea pulchram velociter aduocat Irin,
Quam iubet ad Somni limina ferre gradum.
Nunciet is noctu mortem Ceycis acerbam,
Quem fluido mersit funere summa dies.

ALLEGORIA.

Argento non est vxor redimenda nec auro,
Ceu fuit Halcyone mitis amánsq; viri:
Est proba thesaurus coniux præciosáque gemma,
Námque Dei dono non aliunde venit:
Quod si fortè malum quatiat, casúsue maritum
Percellat, durum suscipit vxor onus.
Communémque dolet sortem lenitque precando,
(Dum diuina vocat numina) sæpe crucem.

Descriptio domus Somni. XI.



IVno Halcyonem pro reditu mariti nequicquam vota facientem miserata, Iridem nunciam suam ad Somnum misit, cui mandaret, vt is per quietem Halcyonæ eadem forma & habitu, appareret, in quo Ceyx naufragium faciẽs, interiisset. Prius autem & habitatio Somni, & triplex somniorum genus à Poëta luculenter describitur, quàm Iridis eò profectæ mandatum exponatur.


ENARRATIO.

SVnt prope Cimerios lenti penetralia Somni,
Quæ radiis nullo tempore Phœbus adit.
Nox & ibi nebulas generat caligine densas,
Non canis hîc sedem non vigil ales habet:
Non fera, non hominis vox intonat auribus vlla,
Sed capitur strepitu tuta silente quies.
Riuus aquæ lethes tacito quem murmure reddit,
In medio stertens Rex cubat ipse toro:
Plumeus vnicolor mollis languore solutus,
Quem circa paßim somnia vana iacent.
Excitat hunc Iris, placidißime somne Deorum,
Hæc ego Iunonis nomine iussa fero.
Somnia mitte citò veras imitantia formas,
Naufraga Ceycis quæ simulacra gerant,
Halcyonem pariter doceant de sorte mariti,
Muneris id Morpheus, rege iubente, capit.
Exprimit hic hominum vultusq; sonosq; loquendo,
Et superat socios strennuus arte suos:
Non Icelon fallax, non talia Phantasos audet,
Ergò domi famulos Rex iubet esse duos.

ALLEGORIA.

Somnia sunt hominum certis distincta figuris,
Omnibus & vanis multa scatere liquet.
Præsagire solent casus nonnulla futuros,
Cœlitus & mittit somnia sæpe Deus,
In quibus accipiunt iusti præcepta salutis,
Non rarò Sathanas pectora nocte subit.

Ceyx cum vxore in Halcyones. XII.



MOrpheus (Somniorũ genus) Ceycis corpus repræſentans, Halcyone noctu in lecto cubanti, apparuit, & coniugis interitũ nunciauit. Mane igitur regina expergefacta, ad littus vnde maritus ſoluerat, accurrit, ibíque caſum Regis deflens, cadauer exangue Ceycis, fluctibus maris circumuolui eminus conſpexit, ad quod cùm per vndas exilire vellet, in auem ſui nominis mutata, & corpus coniugis in eandem volucrem maſculini ſexus eſt conuerſum.

ENARRATIO.

AEmoniā Morpheus subitò contendit ad vrbē
Et stetit Halcyones luridus ante torum.
Ceycis formam referens sine vestibus vllis,
Exanimi similis talia dicta dedit:
Expectas auidè Ceyca miserrima coniux
Sed te nequicquam spes animosa fouet.
Aspicis hîc tantum pro coniuge coniugis vmbram,
Naufragus interij corpore mersus aquis.
Indeploratum ne me sub Tartara mittas
Surge precor, lachrymis ora genasq; riga.
Ingemit Halcyone, fletusq; effundit inanes
Nocte, dehinc celeris littora mane petit.
(Viderat vnde suum discedere mœsta maritum.)
Spectat & in liquidis nare cadauer aquis.
Coniugis extemplò vultus agnoscit, in æquor
Prosilit, & gelidum tangere corpus auet.
Ecce citò geminæ volucres in flumine surgunt,
Nomen & Halcyonis fœmina virq; gerunt.

ALLEGORIA.

Educat Alcedo brumali frigore pullos,
Et medio nidis æquore tuta cubat:
Namq; dies septem placidus sine turbine pontus
Subsidet, ac venti flamina nulla cient.
Sic inter medios Ecclesia sacra tumultus
Nidificans, mundi sustinet ægra minas,
Vt tamen illa queat lætos producere fructus,
Obtegit hanc almi cura benigna Deûm.

Aesacus in mergum. XIII.



AEsacus Priami filius, ex Alixothoe Nympha progenitus, cũ amore Eperies Nymphæ captus, eam fugientem persequeretur, in culpa fuit, vt ipsa ex improuiso mortem obiret: nam inter festinãdum à serpente lethaliter icta interiit, cuius mors Æsaco tantũ luctus & mœroris attulit, vt seipsum ex alto scopulo pręcipitem daret, sed medio volatu in mergum auem Tethys Dea, filia Titanis, eum transmutauit.

ENARRATIO.

AEsacus antiquo Troum de sanguine cretus,
Eperies blando captus amore fuit.
Oderat hic vrbes montesq; colebat opacos
Rurus & Iliacos suevit adire choros:
Non tamen omninò cor gestat amore remotum,
Fixus in Eperiem lumina namq; iacit,
Dispersos humeris dum siccat sole capillos,
Hunc & cerua canem territa Nympha fugit.
Dūq; ita per frutices properat, latet anguis in herba
Stringens lethifero virginis ore pedem.
Occubat Eperie diro serpentis ab ictu,
Æsacon immanis luctus & horror habet.
Ac se præcipiti saltu demittit in æquor,
Excipit hunc miti candida Tethis ope.
Et vestit plumis, ales de nomine Mergus
Nascitur, in gelido flumine membra lauans.

ALLEGORIA.

Mercator fuerat gemmis prædiues & auro,
Æsacus, historiæ ceu monumenta docent,
Cui merces olim rapidis periere procellis,
Hinc auis amissas æquore quærit opes.
Hæc igitur volucris Mergus depingit auarum,
Qui se mundano tingit in amne frequens:
Nam sibi thesauros perituraq; munera tantùm
Dum legit, est toto pectore fixus humi.
Terrenisq; bonis altè submersus, vt aulam
Rarius ad superam corda leuare queat.

FINIS LIB. XI.

OVIDII METAM.
LIBER XII.
Iphigeniæ immolatio. I.



Achiui expeditionem duce Agamemnone in Troiam facturi, cùm in Aulide sacrificarent, reliquos ibi expectantes Græciæ principes, Agamemnon Dianæ ceruam imprudens occidit. Dea itaque irata, tantam tempestatem concitauit, vt eorum classis inde soluere nequiret. Peste etiam ibidem grassante, cõsultus Calchas, respondit: hoc malum non nisi Agamemnonis filiæ Iphigeniæ immolatione tolli posse. Hęc igitur patris consensu ad aram deducta, à Diana surripitur, eiusque loco cerua substituitur.

ENARRATIO.

EXcidium Troiæ dum gens minitatur Achiua,
Aequoris & denso milite tranat iter.
Inuia redduntur discordi flumina vento,
Afflat & Argolicas aura sinistra rates.
Læserat imprudens Agamemnon fortè Dianam,
Huius enim fossus cuspide ceruus erat.
Thestorides augur placari numinis iram
Virgineo læsi sanguine posse refert:
Vt vicit pietas & publica causa parentem,
Altari prolem destinat ipse suam,
Nec Danaûm voluit natam præferre saluti,
Dummodo placaret victima cæsa Deam.
Haud mora, flagranti candens adducitur aræ,
Filia pro toto iam moritura grege:
Sed Dea per nebulam squalentia lumina fallit,
Efficit & tenerum ne cadat ense caput.
Substituens aræ, rapta pro virgine ceruam,
Sic secura necis casta puella manet.

ALLEGORIA.

Non homo propterea mortali vescitur aura
Fractus, vt effugiat magna pericla, metu:
Sed decet ingenuum sociis succurrere lapsis,
Et sua pro patriæ dedere membra neci.
Sic bonus Atrides soboli non parcit amatæ,
Vnam pro multis occubuisse iubens:
Publica priuatis excellunt commoda rebus,
Est nihili solùm qui sibi viuit homo.

Conflictus inter Græcos & Troianos. II.



CVm fama iam in toto terrarũ orbe diuulgatum esset, Græcos aduersus Troiã atrox mouere bellum, Troiani vim primo quasi impetu factam propulsantes, cum Danaûm exercitu manus conferunt, & initio Protesilaũ Iphicli filium interimunt: dehinc Achilles bellator strenuus huius mortem vlciscens, totis viribus in Cygnum Neptuni filium irruit, quem tamen vulnerare nullo modo potuit, omniáque tela in eum coniecta, sine effectu deuolarunt.

ENARRATIO.

DVm circum belli prænuncia fama recentis,
Præcipiti penna per loca multa volat,
Aduentumq; canit Danaûm, puppesq; Pelasgas,
Territat & Teucrûm pectora tunsa metu:
Nobilis his tandem redit in præcordia virtus,
Vt subita capiant bellica tela manu.
Depellunt hostes aditu, littusq; tuentur,
Fortiter, & Troiæ mœnia celsa tegunt.
Ingens fit sonitus, strident hastilibus auræ,
Intonat armorum Marte furente fragor.
Inuadunt sese stricto pars vtraq; ferro,
Heu cadis Hectorea Protesilae manu.
Sustentant aciem quæ stant hinc inde phalanges,
Terraq; multiplici funere pulsa sonat.
Sternit & innumeros proles Neptunia Cygnus,
Spicula cui poterant lædere nulla cutim.
Gramine post currum viridante retorquet Achilles,
Strennuus ense necans agmina crebra virûm:
Nũc impune vagans Cygnũ, nũc Hectora quærit,
Tradere quos letho sanguinolentus auet.

ALLEGORIA.

Prælia consurgunt hic Troas & inter Achiuos
Prima, sed euentus pòst grauiora tulit.
Iliaci donec labuntur mœnia regni,
Et vetus excisæ corruit vrbis honor:
Oppida celsa cadunt, quæ mista superbia luxu
Perdidit; hæc iræ sunt monumenta Dei.

Cygnus ab Achille suffocatus. III.



POstquã Achilles in acie contra Troianos, Hectorem & Cygnum, qui eadem in pugna multos interfecerant, sternẽdos sedulò quęsiuit tandem in Cygnũ incidit: in quem licet multa tela iaceret, nullum tamẽ eius corpori adhæsit. Achilles igitur vehementi commotus ira, è curru, quo vehebatur, desiliit: cominúsque hostem aggressus eum supra saxum præcipitatum, ense transfodit: qui deinde à patre Neptuno, ne memoria eius morte aboleretur, in albam sui nominis auem est commutatus.

ENARRATIO.

INcidit in Cygnum postquã furibundus Achilles
  Exhortatur equos approperare suos.
Et moto torquet vibrantia tela lacerto,
  Attingunt iuuenis spicula missa latus.
Protinus exclamat: Mortis solamen habeto,
  Quisquis es, à forti fixus Achille cadis.
(Hæc ait Aeacides, telum iaculatus ab arcu,
  Dum valida Cygni cuspide corda ferit.)
Sed missi resonus ferri nil proficit ictus,
  Trux inuicta nimis robora iactat homo.
Belliger irarum Pelides fluctuat æstu,
  Hostis & in corpus tela secunda iacit.
Cùm verò Cygni sine vulnere senserat artus,
  Vt quondam clamat, nil mea dextra potes?
Toruus & ante suis tanquam male crederet actis,
  Mittit in obstantem spicula tota virum:
Quem sternit valido rumpens præcordia ferro,
  Cygnum deinde furens ense nitente petit:
Vi cadit Aeacidæ miser (heu lapis obstitit illi.)
  Elisoq; diem gutture pressus, obit.
Sed dum victor ouans victum spoliare parabat,
  In volucrem penna præpete Cygnus abit.

ALLEGORIA.

Qui se posse putat nullis occumbere telis,
  Errat, & indicit bella cruenta Deo.
Nemo suis nimium nitatur viribus audax,
  Sunt hominum fragili corpora texta luto.

Cænis puella in virum. IIII.



CAenis Elati, Lapitæ filia, à multis, ob formam amabatur; sed nullum procorum cõnubio suo dignata est. Hæc cùm aliquando in maris littore deambularet, à Neptuno vi cõprimebatur: qui ei, vt iniuriæ crimen à se amoliretur, optionem concessit, vt quicquid peteret, acceptum ferret. Puella igitur illicò, in virum fortissimum trãsmutari, qui à nullo vulnerari posset, obnixè petiit. Quod cùm consequeretur, etiam mutato nomine Cæneus, virgo in bellicosissimum conuersa militem est appellata.

ENARRATIO.

INgenuo Cænis formosa decore puella
Multis est frustra sæpe petita procis.
Hæc dum ventisoni spatiatur ad æquora ponti,
In viridi glauco littore visa Deo est.
Virginis illicito pelagi dux ardet amore,
Herboso patitur vimq; puella toro.
Sed lasciua Deus Veneris cum gaudia cepit,
Omnia iam dixit, quæ petis ipsa feres.
Elige quid voueas nostræ secura repulsæ,
Ambiguo Cænis pectore multa putat:
Soluit in eloquium tandem quod corde latebat,
Des fortem fieri me peto posse virum.
Sic ait: at Nereus seruat promissa puellæ,
Membraq; confestim mascula virgo gerit.
Vox grauiore sono de gutture promitur alto,
Crescit & in fortem fœmina tota virum.
Corpus item prorsus nullo penetrabile telo
Donat ei magnus Rex domitórq; freti.

ALLEGORIA.

Mollis erat valde Cæneus iuuenilibus annis,
Fingitur hinc virgo plena fuisse metu.
Sed velut è timido tandem fortißimus exit
Miles, & inuicto prælia Marte gerit:
Haud aliter quondam diuini numinis aura,
Corda dedit pauidis grandia sæpe viris,
Vincere quos sæui nunquam potuere tyranni,
Gratia martyribus contigit ista piis.

Inter Lapithas & Centauros pugna. V.



CÆneus à Neptuno amatore suo, in virum cui nullum vulnus infligi poterat, cõuersus, alios omnes præ se contempsit, insolenter robur suum iactitans, adeò vt neque Deos neque homines vllo honore afficeret. Hac autem superbia & impietate sua, Iouis iram in se concitauit. Nam in pugna à Centauris in Pirithoi nuptiis mota, multos hostium cùm interfecisset, tandem à Centauris reuulsis arboribus oppressus, & à Neptuno in volucrem mutatus est.

ENARRATIO.

Audaci celebrans tædas Ixione natus,
Conuocat Æmonios, Nubigenasq́; feros.
Multiplici resonant extructa palatia cœtu,
Atria suspenso lumine tota nitent.
Mente canunt hilari, dapibus quoq; corda relaxãt,
Et vacuant calices ebria turba mero.
Centaurus turpes sed rixas commouet audax.
Eurytus vt Baccho iam madefactus erat.
Protinus euertunt stratas conuiuia mensas,
Et tremula stringunt arma cruenta manu:
Fœmineus pariter tendit super æthera clamor,
Pocula per turbas vndiq; missa volant.
Eurytus ense cadit, stragesq́; miserrima passim
Surgit & effuso sanguine terra madet.
Tartareas Caneus multos demittit ad vmbras,
Is tamen à quouis vulnere tutus erat.
Obrutus euulsæ sed tandem pondere syluæ
Angitur, & duro tempore portat onus.
Deficit omnino fuluis & ab agmine pennis,
Per liquidum pernix aëra tranat auis.

ALLEGORIA.

Centauros inter discors Lapithasq́; tumultus,
Quàm ferat ebrietas multa pudenda, docet,
Hinc veniunt rixæ, de rixis prælia manant,
Nec procul hinc cædes plena cruoris abest.
Ergò superuacui sunt euitanda Lyæi
Pocula, Sobrietas pectora pura decet.

OVIDII METAM. LIBER XIII.

Aiacis & Vlyſſis altercatio. I.



ACHille à Paride interfecto, magna inter Aiacem & Vlyſſem orta eſt contentio, vter eius armis dignior eſſet. Aiax igitur negocium ſuum primò in conſeſſu principum Græciæ cùm exponeret, Vlyſſem in odiũ adducere conatus, variis ignominiis affecit: Vlyſſes autem deinde omnia crimina ſibi obiecta diluens, eloquentia ſua, qua plurimum valebat, tantum effecit, vt ſibi arma omnium principum conſenſu attribuerentur.

ENARRATIO.

Fortis vt Aeacides Troiæ pro mœnibus altis
A Paridis vasta cuspide tactus erat:
Inter acerba duces oritur contentio Graios,
Qui ferat exuuias, armáq; clara viri.
Hunc Telamoniades alacer sibi poscit honorem,
Spernens Dulicheum laudis amore ducem.
Surgit, & impatiens iræ proscindit Vlyssem,
Liuorisq; nigrum virus ab ore vomit.
Præclarumq; genus nomenq; recenset auorum,
Corporis & vires tollit ad astra suas:
Horrida non fictis miscentur prælia verbis,
Est validis bello viribus (inquit) opus.
Respondet contrà placidè Laërtius heros,
Obiectúmq; sibi diluit arte scelus.
Quid grauis in bello prosit facundia narrat,
Nil sine consilio facta valere docens.
Hinc iustas Danaûm demulcet suauiter aures,
Dum quid præstiterint verba diserta refert.
Ergò Pelidæ meritò tulit arma perempti
Dulichius, portat nil Telamone satus.

ALLEGORIA.

Aiaces hodie multos reperire licebit,
Aspera vox quorum nil nisi bella sonat,
Quiq; sibi fuso quærunt in sanguine laudem,
Sed Marti præstet lingua diserta truci.
Vincit & externum sapiens facundia robur.
Oppida consiliis nulla carere queunt.

Clypeus Achillis. II.



THetis mater Achillis, cùm filium ſuum variis expoſitum videret periculis, ad Vulcanum Deorum fabrum ſe contulit, obnixè eum rogans, vt filio arma, quibus muniretur, fabricaret. Cui ille obſecutus clypeum mirifica pictura ornatum confecit, in quo totus terrarum orbis omnes aſtrorum curſus, nuptię, iudicia forenſia, itẹm prælia & obſidiones vrbium conſpiciebantur. Qui deinde clypeus Vlyſſi, interfecto Achille, tradebatur.

ENARRATIO.

PRessa Thetis quondam curis & mole laborum
Vulcani, lachrymis humida limen adit,
Auxiliumq; petit nati commota periclis,
Est Deus huic placidam ferre paratus opem:
Protinus incurua rude versat forcipe ferrum,
Pulchraq; robusta fabricat æra manu.
Cudit & ingentem clypeum fornace sub alta,
Hunc pariter mira sedulus arte notat,
Conspicitur totus signis radiantibus asper
Orbis, & immensi picta theatra refert.
Exprimit obliquum rutilanti sidere cœlum,
Et claro celeres lumine solis equos:
Concaua cernuntur crescentis cornua Lunæ,
Pleiades, Cepheus, Parrhasiumq; pecus.
Promicat Arctophylax, sæuusq; coruscat Orion,
Nec desunt magni flumina vasta freti.
Præterea geminas insculpit Mulciber vrbes,
Quælibet aurato signa decore nitent:

ALLEGORIA.

Pictura clypeus non illustratur inani,
Loripedis docta sed fuit arte Dei:
Namq; decet reges sacras adamare Camœnas,
Et mentem studiis applicuisse bonis.
Ista nec in summis belli deponere curis,
Principis est Musas nosse, supremus honor.
Dux Macedo semper cubitum cessurus, Homerum
Narratur capiti supposuisse suo.

Aiax ſibi mortem conſciſcit. III.



PRoceres Græcorum cùm Achillis arma Vlyſſi, tanquam digniori adiudicaſſent, Aiax ignominia quaſi notatus, & iniuria, quam ſibi inferri putabat, accenſus, iráque victus (qui ab aliis tamen vinci non poterat) ſibi manus violentas ipſe attulit: ſeque ſuo gladio, quo plurimos antè hoſtes occiderat, interimit: Ex cuius cruore deinceps flos purpureus, ſimilis Hyacintho, natus eſt.

ENARRATIO.

AEacidæ postquam radiantia tela superbi
Dulichius, tali dignus honore tulit:
Mox Telamoniades irarum concipit ignes,
Quòd prærepta sibi præmia tanta forent.
Et qui sustinuit quondam ferumq; Iouemq;,
Haud æstus animi sustinuisse valet.
Vincit & Aiacem (nemo quem vicerat hostis)
Mæror, & in latebris pectoris ira sedens.
Hinc citò fulgentem vagina liberat ensem,
Hic meus est gladius, voce furente refert.
Hic tandem domini truculenta cæde madebit,
Qui Phrygio maduit sæpe cruore prius.
Aiacem nullus telo superare valebat,
Se tamen hoc Aiax ense necare potest:
Dixit, & extractum sua misit in ilia ferrum,
Quod demum nigrans expulit ipse cruor:
Iamq; madens genuit diffuso sanguine florem
Tellus, quem medio littera picta notat.

ALLEGORIA.

Est hominum fragilis, fallax perituraq; virtus,
Cælitus elapsa ni foueatur ope.
Affert Aiaci leuis hæc offensio pestem,
Dux quòd Naritius præmia prima tulit:
Quem prius haud poterant hostes delere feroces,
Hunc demum letho tradidit ira ferox.
Ergò sui longè victoria celsa triumphis
Est potior, nec laus altius ire valet.

Excidium

Excidium Troiæ. IIII.



VLyſſes poſtquam Philoctetæ ſagittas, ipſo comitante, in Græcorum caſtra pertu-
it, iiſdem vrbs iuxta oraculum expugnata, & i-
ne abſumpta fuit. Túmque horribili ſtrage
oorta Priamus ipſe ad Iouis aram, vbi ſe tu ū
ore credebat, occidebatur. Denique vaſtatis o-
nibus Græci naues ſuas ſpoliis onerantes, ſe-
úmque Hecubam regis Priami coniugem ra-
ientes, inde Thraciam ſecundo vento appu-
erunt.

ENARRATIO.

VEla dat in Lemnum victor Laërtius Heros
Herculis vt secum tela tremenda ferat.
Quæ simul ad Danaûm furialia castra reuexit,
Insidiis Graiûm Pergama capta ruunt.
Claráque dant Troiæ fulgens incendia lumen,
Effusóque madens sanguine terra rubet.
Combibit & Priami calidum Iouis ara cruorem,
Qui Troiæ quondam sceptra superba tulit.
Mactatur frustra tendens Priameia virgo,
Ad cælum passis crinibus ægra manus.
At nondum fumans penitus consederat ignis,
Cum spoliis implet classis Achiua rates:
Auráq; discessum suadet, ventusq; secundus,
Et flabris Boreæ carbasa mota sonant.
Troiades & captæ iam diruta mœnia linquunt,
Infœlix Hecube lumine stillat aquas:
Natorúmq; gemit tristissima fata reuoluens,
Deserit & patriæ limina chara suæ.

ALLEGORIA.

Quos ferat humanis casus mutatio rebus,
Hostibus à Danais Troia capta docet.
Ilion in tenues redit expugnata fauillas,
Rex misero Priamus funere cæsus obit,
Auehitur coniux peregrinis regia terris,
Sic honor in ventos noster inanis abit.
Talia commoueant tumidas spectacula mentes,
Vt pauido discant corde timere Deum.

Polymeſtoris nequitia. V.



CVm Priamus regno ſuo fatale videret incumbere exitiū,& filium Polydorum natu minimum multo inſtructum auro , ad Polymeſtorem Thracum Tyrannū,miſit,vt ſi Troia vaſtaretur,aliquis ſuorum remaneret, qui regnum collapſum inſtaurare poſſet . Polymeſtor autem ſimul atque vrbis excidiū cognouit,auri cupiditate inflammatus,Polydorum interfecit: eiúſque cadauer in mare proiiciens theſauro iniuſto potitus eſt.

ENARRATIO.

REx Troiæ Priamus cùm iã diffideret armis,
Ilion & Graio milite cincta foret.
Te Polydore pater furtim commisit alendum
Threicio, possis vt superesse, duci.
Instruit argenti numeroso pondere prolem,
Vt noua si ruat vrbs, ponere regna queat.
Restitit ast vbi sors Teucris, Polymestor iniquus
Aurea feruenti munera corde sitit:
Fas malus abrumpit, puerúmq; trucidat inermem,
Mittit & in liquidas triste cadauer aquas.
Crimen & hoc fœdum tolli cum corpore credit,
Sed celare diu facta cruenta nequit.

ALLEGORIA.

Auri dira fames, & opum furiosa cupido
Turpiter ad sceleris nos rapit omne genus.
Proditio venit hinc, fraus, cædes, furta, rapinæ,
Iurgia, nec pestis tetrior esse potest.
Spe lucri mœstis Polydorus redditur vmbris,
Inq; iuuentutis flore recisus obit.
Munere pellicitur sic Septumuleius auri,
Abscindit furtim dum tibi Gracche caput.
Illud & infuso grauius facit vndique plumbo,
Perfidus vt plures inde reportet opes:
Nam caput appendit quantum ceruice resectum,
Tanta ferox auri pondera latro capit.
Sic sceleratus amor nummi turpissima quæq;
Perpetrat, & fidei rumpere iura solet.

Polyxena immolatur. VI.



POst euersionem Troiæ, cũ Græci in Thraciam appulissent, vbi monumentum Achillis in Troia sepulti extabat, vmbra eius super tumulum visa, petiit à Græcis, vt sibi Polyxenã, Priami filiam, quam pater ei, dũ viueret adhuc, despondisset, in honorem perpetuum sacrificarent. Morem igitur Græci gerentes Achilli, puellam ad moriendũm paratissimam (vt potè quæ honestam seruitutis iugo necem lõgè præferebat) ad aram ducentes, immolarunt.

ENARRATIO.

Concaua dum Graci vertunt ad littora puppes
  Vrbis Threicia, fissaq; membra leuant,
Exanimem referens vultum pugnacis Achillei,
  Vmbra parentali protinus exit humo.
Immemores nostra quorsum virtutis Achiui?
  Cur (inquit) tumulus noster honore caret?
Aeacida placet mactata Polyxena manes,
  Hac Danaûm tristi pectora voce monet.
Ducitur ergò lubens ad bustum (flebile visu.)
  Rapta sinu matris casta puella sua:
Sed nũquã lachrymas iugulãda Polyxena fundis,
  Seruili prafert fata suprema iugo:
Namq; Neoptolemo gladium confisa tenenti
  Nunc, dicit, ferro iussa capesse tuo.
Ac iugulum subitò nudum, pectusq; retexens,
  Spontè fit Aeacida victima tristis humo.
Stillat ibi lachrymas populus, quas virgo tenebat,
  Fletibus & flamen lumina mœsta rigat.

ALLEGOIA.

Humanum Sathanas rabiosa fauce cruorem
  (Ferali gaudens cadis amore) sitit.
Idcircò terris manes, & spectra profundis
  Euocat, vt fuso sanguine plaudat ouans.
Sic olim veteres lusit per sacula gentes,
  Plurima concutiens pectora vana metu.
Sapius vt stygio dederint sua pignora letho,
  Pradonis damon munera saua gerit.

Hecuba Polydorum occi-sum reperit. VII.



POstquam cadauer Polyxenæ, in honorem Achillis à Græcis immolatæ, matri Hecubæ redditum erat, illud lachrymis, quas fundebat, prius absterſum, in amne penitus purgare & abluere cœpit: Quo facto, córpus filij ſui Polydori, quem Polymeſtor occiderat, fluctibus maris circumuagatur. Id vbi mater agnouiſſet, caſus mœrorem quidem auxit, ſed cauſa interitus acerbiſſimi intellecta, occaſionem vlciſcendi Polymeſtoris facinus quæſiuit.

ENARRATIO.

LVctificam virgo postquam mactatur ad aram,
Peruenit in matris cæsa repente manus.
Quā genitrix multū lachrymis humectat obortis,
Altáque mœrenti nubila voce ferit.
Oscula dat charæ soboli, laniatq; capillos,
Tundit & admota tristia corda manu.
Iliacæq; domus crudelia fata reuoluens,
Me quoties, clamat, sors inimica premis?
Quid? mea cur proles hostilia busta piauit?
Num peperi manes tristis Achille tibi?
Quid moror intereà vultus purgare madentes,
Et luere exhausto vulnera cruda mari?
Dixit, & æquoreas lentè procedit ad vndas,
Mortua quo pueri littore membra videt:
Nouit & extemplò Polydori triste cadauer
Mater: at immenso verba dolore premit.
Iam consternatos extollit ad æthera vultus,
Vulnera iam nati spectat acerba sui:
Iamq; furens motu grauiter mœroris & iræ,
Vltima Threicio fata parare studet.

ALLEGORIA.

Aspice mortalis quàm sit natura dolendis
Casibus & varia subdita sorte neci.
Sæpius agglomerant vasto se turbine clades,
Fataq; vel letho nos grauiora premunt:
Luctibus & lachrymis Hecube consumpta profusis,
Anxifica vitam conditione trahit.

Polymeſtor oculis priuatur. VIII.



HEcuba, cadauere Polydori filij ſui in littore inuento, non tam fundebat lachrymas, quàm vindicandi ſceleris occaſioné aucupabatur. Vocãs igitur clàm ad ſe Polymeſtora, ſimulat ſe cum ipſo de theſauro collocuturam: qui ſpe lucri cum veniret, manus ei Hecuba, mulieribus adiuta captiuis, attulit, eumque ſæuis oppreſſum verberibus, ſenſu videndi orbauit.

ENARRATIO.

Postquam reppererat nati Priameia coniux
 Aequoreis Hecube triste cadauer aquis.
Mœrentes rapida gemitus permiscuit ira,
 Vlcisci statuens fraude doloq; nefas.
Dissimulans igitur materno corde dolorem,
 Improba Threicij limina regis adit.
Autorem pariter dira Polymestora cadis
 Interiora velit tecta subire monet.
Pondera, nil dubites, gazæ monstrabo reposta,
 Vt soboli (dicit) des alimenta meæ.
Odrysius subitò præda confisus auara,
 In secreta venit, pollicitumq; petit.
Irruit in sæuum, dum poscit munera, regem
 Mox Hecube, matrum fisa iuuante choro.
Euellitq; genis oculos, & verbera miscet:
 Vires nam validas addidit ira ferox.

ALLEGORIA.

Dat pœnas sceleris latro Polymestor acerbas,
 Duraq; priuatus lumine fata subit.
Nemo diu reprobus terris impunè vagatur,
 Facta breuis retegit nequitiosa dies.
Inq; suum quæ quisq; patrat, damnosa redundant
 Crimina, retrorsum (sorte labante) caput.
Oedipus exilium rex florentissimus olim
 Perpetitur celso pulsus ad ima loco.
Ob scelus horrendum furiis agitatur Orestes,
 Hinc oculus vindex creditur esse Deo.

Memnonis rogi fauillæ in aues. IX.



CVm Memnon, Tithoni Auroræque filius, Priamo auxilium ferens, ab Achille interfectus esset, mater eius multis precibus à Ioue petiit, vt is mortem filij aliquo honore aut solatio leniret. Quodquidem à Ioue impetrauit: Nã statim aues è fauillis rogi enatæ, ac Memnonidum appellationem sortitæ sunt. Solent autem quotannis istæ auiculæ ad sepulchrum eius cõgregari, vbi dimicantes sanguine suo manibus extincti parentant.

ENARRATIO.

MEmnona Thaumãtis pereuntẽ lutea natũ
  Viderat, vt telo fortis Achille tuo:
Squalida pallenti subitò velatur amictu,
  Æthera signiferum nube nigrante tegens,
Acceditq; Iouis solium Dea crine soluto,
  Curuatóq; sibi poplite poscit opem.
Non, ait, accensis fumantes ignibus aras,
  Non peto sacrificos, laudis amore dies:
Sed precor extremum soboli da mortis honorem,
  Fortia pro patruo qui tulit arma suo.
Iuppiter annuerat votis, monumenta perempti
  Promittens placidè non peritura viri.
Memnonis ergò rogus celeri dum corruit igne,
  Claraq; sublimis fumus ad astra volat,
Protinus emergunt volucres crepitantibus alis,
  Terq; melos lato gutture dulce sonant.
Memnonidum posthac anno labente madebant
  Effuso domini sanguine busta sui.

ALLEGORIA.

Pugnando patriæ Memnon profitetur amorem,
  Immortale sibi comparat vnde decus.
Sic etiam sacro si quis pro nomine Christi
  Occubet, illius non morietur honos.
Mille beatorum floret per secula nomen,
  Pro Christo vitam qui posuere suam,
Suntq; Dei proprio testati sanguine natum,
  Nobis est cuius parta cruore salus.

Aeneæ pietas in parentem. X.



POstquam Troia à Græcorum exercitu capta & expugnata erat, Æneas Anchisæ & Veneris filius, Troianorúmque dux præstantissimus, cum horribiliter omnia dirui, & igne vastari videret, ipséque in extremo capitis periculo versaretur, fuga saluti suæ prospicere constituit: ac parentem Anchisen ætate confectum suis impositum humeris, nec non filium vnicum Iulum, cum dilectissima coniuge clàm ex vrbe eduxit, itáque totam familiam suam è mortis discrimine liberauit.

ENARRATIO.

CVm ruerent flammis altißima mœnia Troiæ,
Vdaq; Teucrorum cæde maderet humus,
Ac pius Aeneas turbatus corde saluti
Nequicquam posset consuluisse suæ,
Talibus Anchisen verbis affatur, & inquit:
Cogimur heu patriam linquere, chare parens.
Impendent nostro suprema pericula collo,
Nosq; premit fati tristis & atra dies.
Ergò benigne pater, senioq; grauate molesto,
Te ceruice mea pondus inerme feram.
Sors quocunq; cadet, nobis commune periclum,
Communis pariter vita duobus erit.
Sit comes Ascanius, coniux vestigia seruet,
Speremus tutum numine matris iter.
Hæc ait: Anchisæq; subit venerabile corpus,
Te quoq; parue sua ducit Iule manu.
Deserit, & patriæ limen genitore grauatus,
Cui flammæ cedunt & via tuta patet.

ALLEGORIA.

Lucida sinceræ docet hæc pietatis imago,
Qualia sint natis efficienda piis.
Non pudet Aeneam medios portare per hostes
Atq; senem flammis eripuisse patrem.
Sic naturali donata ciconia storge,
Anchisæ geniti par imitatur opus.
Hæc alit, hæc tergo gestat trepidante parentes,
Vltima confectos quando senecta premit

Polyphemus, Acis & Galatea. XI.



Galatea Nerei & Doridis filia, cùm amore Acidis (quē Faunus ex Simethide progenuit) iuuenis formosissimi caperetur, idémque puellam pari ardore in loco quodam secreto conuenire solebant. Polyphemus autem similiter virginem amare cœpit, & composita cantilena, mirum in modum eam commendat, si sit obsequens: sin abhorreat ab ipso, per antithesin illam vituperat. Deinceps etiam suas opes, imperium, formam, vt in se Nympham alliciat, vehementer extollit.

ENARRATIO.

ACidis ardescit Galatea cupidine mira,
Illius & iuuenis carpitur igne pari.
Qui duo lasciuæ Veneris dum gaudia captant,
Alternis dantes oscula grata genis,
Sanguineus conspexit eos Polyphemus amantes,
Vt viridi placidas gramine pascit oues.
Corde repentinos flagrantes concipit æstus,
Virginis hunc visæ nam simul vrit amor.
Explicat hirsutos ferrato pectine crines
Et barbam mento falce rapace secat.
Multiplici pariter modulatur arundine carmen,
Carmine quo Nymphæ flectere corda cupit.
Horrescunt moti pastoria sibila rupes,
Et crepitans clarum percipit vnda sonum.
Eximiis formam Nerines laudibus effert,
Approbat & cunctis membra decora modis,
Iactat opes viuo Cyclops pendentia saxo,
Antra, boues, fructus, lanigerúmq; pecus.
Luminis ingentem quoq; prædicat vnius orbem,
Nil tamen hæ laudes votáq; blanda valent.

ALLEGORIA.

Contemnit Galatea feri Cyclopis amores,
Promissis quanquam misceat ipse preces.
Nõ tam vota Venus quàm prospera fata requirit,
Soluitur & fato iungitur omnis amor.
Sæpius hinc inopi virgo ditissima nupsit,
Deformi pariter culta puella viro.

Acis

Acis in fluuium. XII.



GAlateam cùm Polyphemus nec minis nec precibus, nec vllis pollicitis, in sui amo- :m pertrahere posset, vehementi correptus ira, nbos amantes trucidare cogitauit: Nam è spe- inca sua prosiliens, auulsum à monte Ætna in- entẽ scopulum in eos coniecit. Quo viso Ga- tea proximo mari mersa est. Acis autem, qui xi non potuit effugere impetum, eo adobru- is & occisus, nec non in fluuium sui nominis odem in loco conuersus est.

ENARRATIO.

INstat amans cantu Cyclops, precibusq; minisq;,
Nec Nympham precibus, nec mouet ille minis.
Eripiam iuueni præsentis munera lucis,
Et per aquas, inquit, viscera viua traham.
Talia vociferans irarum concipit æstus,
Virginis & cæco raptus amore, furit:
Surgit, & incensus syluarum saltibus errat,
Ac fremit amissa ceu boue taurus amans.
Sed mons dum sæuo clamore perhorruit Aetna,
Decidit auulsus rupe sonante lapis.
Vicina subitò perterrita mergitur vnda,
Atq; diu vasto flumine Nympha latet.
Euitare volens fera fata Simæthius Heros
Auxilium, clamat, fer Galatea mihi.
Saxum delabens totum tamen obruit Acin,
Protinus in liquidas quem Dea vertit aquas.

ALLEGORIA.

Inuidiam quicunq; fouet sub corde latentem,
Alterius damnis gaudia læta capit:
E contrà vultu si quem fortuna sereno
Aspicit, huic liuor pectora rodit edax.
Hos igitur nigros homines fugisse memento,
Quisquis es, & vitam tu tibi solus age.
Arte doloq; mali, quoties non lædere possunt,
Præbet eis facilem vis truculenta viam:
Inq; bonos rabidi telis grassantur apertis,
Acis ab exemplo quod docet ipse suo.

Glaucus piscator in Deum marinum. XIII.



GLaucus Antedonis filius, piscator cũ speciosos pisces caperet, eos in folio recondi-os seruare voluit: pratoque dũ requiesceret & etia siccaret, exposuit: hi autem è foliis in mare esultabant. Vt igitur causam huius rei cognosceret Glaucus, herbam, qua fuerant reconditi, lentibus mandere cœpit. Quod cùm fecisset, statim natura mutata, in fretum se præcipitem dedit, & auxilio Deorum in marinum Deum transmutatus est, qui Scyllam, Phorci filiam, postea vehementer adamauit.

ENARRATIO.

SCylla, maris bibula postquàm spaciatur arena,
Nudáq; curuato gurgite membra lauat.
Glaucus adest visæ cæcō correptus amore
Virginis, & placida talia voce refert,
Quid fugis infœlix? (Glaucum quia fugerat illa)
Non sum fluctiuagi bellua dira freti.
Sum Deus æquoreus, credas, mōderorq; procellis:
Mortali quondam corpore cinctus eram.
Ceruleis pariter fueram tunc deditus vndis,
Piscibus ad ripam lina referta trahens.
Hos ego dum capio pendentes ære recurno,
Littora florenti gramine picta peto.
Annumerans certo squamosos ordine pisces,
Et multum viridi cespite cingo pecus.
Protinus in foliis latitans mea præda mouetur,
Membraq; vicinis viuida mergit aquis.
Obstupui pauidè, digitisq; ea gramina carpens
Dentibus arrodo pabula secta meis.
Pòst etiam corpus sinuato flumine mergens,
Fio Deus pelagi, qui periturus eram.

ALLEGORIA.

Ceu Glaucus postquam gramen gustauit amarum,
Incidit in rapidi flumina vasta maris:
Sic homo qui lachrymis vitam deplorat acerbis,
Fluctibus aduersæ tunditur vsque crucis
Enatat ille tamen letè, superátq; procellas.
Fitq; repurgato corde renatus homo.

FINIS LIB. XIII.

OVIDII METAM.

LIB. XIIII.

Scylla in monstrum marinum. I.



GLaucus cùm Scyllæ amore potiri non posset, Circen veneficā adiit: vtque à Nympha redamaretur, artibus suis efficeret, eam obnixè rogauit. Sed Circe statim Glauci amore capta, in ipsum exarsit, à quo spreta cùm esset, omnem iram in Scyllam effudit: ac sinum, quendam, in quem Nympha descensura erat, venenis infecit quibus pubetenus in varia monstra conuersa, sibi displicuit, ac tandem in fretum Siculum desiluit, vbi in monstrum marinum transmutata est.

ENARRATIO.

Cum Glaucus nulla posset ratione potiri
  Scylla, quae ponti gurgite mersa latet,
Peruenit ad Circen Tyrrhena per aequora vectus,
  A qua submissa voce precatur opem.
Vera Dei soboles, inquit, precor aspice diuum,
  Nam mihi, quod quaero, tu dare sola potes.
Effice quaeso tuis, faueat mihi Scylla venenis,
  Hanc ad me dulci carmine flecte tuo.
Illius at Circe flagranti carpitur igne,
  Inuitam dicens, cur adamare cupis?
Tu Nympham potius spernentem sperne, volentem
  Dilige quae pariligestit amore tui.
Spem mihi si dederis minimam, te sponte rogabo,
  Quae sum flammigero filia Sole sata.
Huic Glaucus: Noster nunquam mutabitur ardor,
  Corpore dum nitido Scylla superstes erit.
Protinus irascens pedibus terit aequora Circe,
  Ac diro magicos murmurat ore sonos.
Inquinat & virus sinuosa volumina ponti,
  Desilit in gelidum nescia Scylla sinum.
Cuius foedantur furibundis inguina monstris,
  Quae tamen & medius illa coercet aquis.

ALLEGORIA.

Qui magicas animo dubitanti consulit artes,
  Agglomerat capiti nil nisi damna suo.
Hoc etenim Sathanas mortalia decipit astu
  Pectora, quae clarae turbida lucis egent.

Polyphemus Vlyſſis ſocios deuorat. II.



Achæmenides Vlyſſis comes, in antro Cyclopis, cui Vlyſſes oculum dormienti effoderat, à ſociis relictus, Polyphemi tyrannidem, quam in hoſpites exercuerat, cominus aſpexit, & per tres menſes in Ætna monte, herbis & glandibus tantummodo veſcens, delituit. Ab Ænea autẽ prætemauigante (cui ſupplex erat) inde auectus, & ita velut è faucibus Cyclopis ereptus fuit.

ENARRATIO.

Cum iam Cyclopi lumen terebrasset Vlysses
Dulichius, ventis vela secunda dedit.
Sed socios vasto quosdam relliquit in antro,
Qui pòst Cyclopi præda fuere truci.
Solus Achæmenides inter deserta ferarum,
Euasit viuens vltima fata, miser.
Illi dant epulas vulsis radicibus herbæ,
Dum sub virgultis corde tremente latet.
Sanguine quì cernit Polyphemum vescier atro,
Morsibus et socios dilaniare suos,
Vtq; crepent, audit, tepidi sub dentibus artus,
Faucibus & rursus frustra cruenta vomat:
Hos vbi conspexit fœdatos sanguine rictus,
Membra timore graui diriguere viri.
Sed longo Phrygiam vidit pòst tempore puppim,
Illi quæ dubiam spemq; metumq; tulit.
Propterea supplex palmas ad littora tendens,
Hinc me, clamauit, tolle Pelagsa manus.
Rumpe moras, celerique fuga tibi consule nauis
Hunc capit, & tranat per vada salsa viam.

ALLEGORIA.

Ceu Polypheme tibi lumen terebrauit Vlysses,
Sic hodie multis lux rationis obit.
Hinc oculis mentis ratio diuina vocatur,
Virtutis rectam quæ docet ire viam.
Sed tamen effoditur prauis affectibus illa,
In tenebris titubat tunc miserandus homo.

Vlyſſis ſocij in porcos. III.



VLyſſis ſocij varia loca perluſtrantes, tandem ad Circen peruenerunt, à qua liberaliter ſunt excepti. Ea poculum mirificis pharmacis repletum hoſpitibus porrexit: quo hauſto, omnes, præter vnicum Eurylochum, in porcos mutabãtur. Vlyſſes igitur valde iratus, Circen ſtricto inuaſit gladio, quem eodem modo decipere conabatur. Is autem remedio à Mercurio accepto tantum effecit, vt ſocij eius in priſtinam formam reſtituerentur.

ENARRATIO.

Dulichij comites tendunt ad mœnia Circes,
Et magicæ subeunt tecta superba Deæ.
Queis fecere metum, primo dum limine sistunt,
Vrsus, & immixtis sæua leæna lupis.
Sed prohibent ictus famulæ, placidóq; Pelasgos
Excipit hospitio diua maligna viros:
Nam tacito nocuam versabat pectore fraudem,
Confusè miscens hordea, mella, merum.
Porrigit hospitibus plenos dulcedine succos,
Quos simul ardenti turba bibêre gula.
Pòst tangit summos baculo Dea callida crines,
Tristia submisso murmure verba sonans,
Protinus horrescunt villosis corpora setis,
Occupat & socios tetra figura suum.
Solus at Eurylochus magicam quia senserat artem
Nec biberat Circes pocula, saluus erat.
Deindè sed accepto medicamine fortis Vlysses
Mercurij socios vendicat ense suos.
Vertit & in formam, mutata voce priorem
Dulichij monitis diua coacta suos.

ALLEGORIA.

Vana voluptatis designant pocula Circes
Gaudia, quæ cæco corda, furore replent.
Eximit humanam virus lethale figuram
Omnibus, illecebras qui petulanter amant.
At vero tales dicuntur nomine porci,
Dum velut in cœno sus lutulenta iacent.

Picus in auem. IIII.



PIcus ex progenie Saturni, rex Tyrrheniæ cùm in agro Laurenti crebris indulgeret venationibus, à Circe Dea visus, propter eximiam corporis venustatem mirum in modum est adamatus. Is verò cùm coniugis suæ, cui nomen Canenti fuerat, amore firmissimo deuinctus, illicitum Deæ concubitum recusaret, ab eadem, ob contemptum eius, in auem sui nominis est conuersus.

ENARRATIO.

Picus vt Ausoniæ quondam ditißimus heros,
Per nemus horrendis insidiatur apris.
Venit & in densas Titanis filia syluas,
Vt legeret pleno gramina picta sinu.
Hæc postquam vidit virgultis abdita Picum,
Illius indomito carpitur igne Dea.
Cursus equi vetuit, iuuenem ne posset adire,
Hinc sibi consilium quo medeatur init:
Fingit apri fictam speciem, quò fallat amatum
Protinus hic regis cursitat ante pedes.
Quo viso Picus, præda delusus inani,
Læuia magnanimi tergora linquit equi,
Atque feræ refugam cursu petit inscius vmbram,
Cui Dea flagranti fundit ab ore preces.
Detegit & mentem, narrátq; Cupidinis ignes,
Sed negat vxoris Rex violare fidem.
Proficiens Circe precibus nihil, vtitur arte,
Et Picum, facto murmure, reddit auem.

ALLEGORIA.

In vetitos Ææa sui ceu lactat amores
Ausoniæ, blandis vocibus orsa Ducem:
Sic falsa Sathanas eludit imagine multos,
Ad scelerúmque vafer pellicit omne genus.
Ast homo quem tangit supremæ cura salutis,
Fœdera cum tetro Dæmone nulla ferit:
Sed sponso potius Christo constanter inhæret,
Quærit & in solo gaudia plena Deo.

Apulus in oleaſtrum. V.



IN Lauinia regione locus erat, quem Pan, Mercurij filius, aliquando tenuerat, is poſtea à Nymphis cultus eſt. Accidit autem vt paſtor quidam, Apulus nomine, iis non modò metum grauiſſimum incuteret, verùm & procaciſſimis eas verbis & duris opprobriis laceraret: nec prius deſineret, quàm à Nymphis loquendi priuatus munere in arborem oleaſtrum, quæ ſuccos amaros edere ſolet, conuerſus eſt.

ENARRATIO.

Fertilis arboribus regio Lauinia quondam
  A Nymphis longo tempore culta fuit.
Appulus his pastor multa ratione molestus
  Extitit, & stolido terruit ore Deas.
Sedibus hasque suis moto clamore fugauit,
  Virginibus tristis nascitur inde pauor.
Mens tamen his rediit, neque curauere sequentem,
  Post modo, sed solitum repetiere nemus.
Et motis hilares pedibus duxere choreas,
  Improbat illarum gaudia pastor iners.
Ac Nymphas saltu petulans imitatur agresti,
  Inq; Deas audax scommata dira vomit.
Iungit & obscœnis conuicia turpia dictis,
  Aspera nec potuit verba tenere prius,
Ingens quàm fieret baccis oleaster amaris.
  Hanc ipsi pœnam lingua proterua tulit.

ALLEGORIA.

Austeros veluti fructus producit oliua
  Syluestris, grati nilque saporis habet:
Sic obtrectator sermone redundat acerbo,
  Ac furiale suo virus ab ore iacit.
Pestiferum superat linguæ petulantia telum,
  Plúsque dat exitij quàm parat ensis atrox.
Sed cordatus homo vulgi conuicia ridet
  Improba, nec magni liuida verba facit.
Effrenem clades sequitur certissima linguam,
  Qui sapit, is digito pressa labella domat.

Aeneæ classis in Nymphas. VI.



CVm Turnus Rutulorum Dux, aduersus Troianos, quibus Aeneas præerat, bellum gereret, tandem in classem illorum ignem immisit, eámque penitus exurere statuit: sed opinionem atque conatum ipsius euentus fefellit. Deorum enim mater Berecynthia, eas naues, quia in Ida monte sibi dicato fabricatæ fuerant, flammis absumi non est passa. Verũ ingenti missa tempestate, in Nymphas marinas conuertit.

ENARRATIO.

Æneas vbi cum Rutulis gerit aspera bella,
Sanguineáq; madens cæde rubescit humus.
Tecta faces infert rapidas in pinea Turnus,
Pinguia nigranti dans alimenta pici.
Protinus accensæ fumabant transtra carinæ,
Antennas ignis veláque summa petit.
Sed parat Idæo cæsas in vertice flammis
Diuorum genitrix eripuisse rates,
Et biiugis cœlo transuecta leonibus imbrem
Mitit, & effusa grandine quassat aquas.
Aduersis turbant venti concursibus æquor,
Astraq; nunc classis, nunc petit ima freti.
Flatibus Astræi miscent quoq; prælia fratres,
Ne celeri puppes Mulciber igne voret.
Postremò crebris multum percussa procellis,
Mutat in æquoreas robora magna Deas.

ALLEGORIA.

Turnus vt accendit flamma rutilante carinas
Æneæ, classis pars minor igne perit.
Cæsa sed Idæo sub vertice ligna supersunt
Tuta, nec his vrens flamma nocere potest:
Sic etiam Sathanas hominem virtute probatum
Obruit, ad lethum quem rapuisse studet.
Illius affligit corpus, bona diripit atrox,
Ast animam nulla lædere parte valet:
Hæc manet incolumis, stirpem quia traxit Olympo,
Regis & hanc stygij vis abolere nequit.

Æneas

Aeneas in Deũ indigetẽ. VII.



VEnus poſtquam animaduertit filium ſuum Aeneam, variis laboribus exhauſtũ, ad extemum vitæ terminum perueniſſe, petiit à Ioue atre, vt promiſſorum memor, natum in nuerum Deorum reciper t. Cuius precibus mois Iupiter effecit, vt in agro Laurenti, ad flu ea Numitium Aeneas lauaret, & mortalitam ablueret, intérque Deos, vt vocant, indiges referretur.

ENARRATIO.

TRoius Æneas longo iam debilis æuo,
Diuina paßim laude perennis erat.
Tum puer Ascanius regno florebat & auro,
Pro patre confecto sceptra superba gerens.
Ergo Iouem Cytherea Venus sic voce precatur:
Magne parens, gnato fer pietatis opem.
Pertulit immodicos (steterant vt fata) labores:
Iam nisi succurras, mortis ab ense cadet.
Sit satis ad Stygias hunc descendisse paludes,
Et semel vmbrosos transiliisse lacus.
Sit tandem quæso cœlesti dignus honore,
Clementi votis annuit ore pater.
Cælicolis placet hæc eadem sententia cunctis,
Pro nato genitrix gaudia multa capit.
Est flumen Latij resonante Numicius vnda,
Quò iubet Æneam membra lauare Venus.
Hoc vbi natus agit, mortales exuit artus,
Fertur & Indigetis nomen habere Dei.

ALLEGORIA.

Ad cœlum si quis recto contendere cursu
Nititur, ille sibi dura ferenda sciat.
Cogitur infernas Plutonis adire tenebras,
Cogitur in terris tristia multa pati.
Hunc decet & veteres carnis deponere sordes,
Seq; lauare sacro fonte perennis aquæ.
Nam nisi quis viua prius enascatur ab vnda
Desuper, alta Dei regna videre nequit.

Vertumnus in anum. VIII.



Vb Proca rege Albanorum, Pomona fuit Nympha, hortorum diligentissima cultrix. anc cum Vertumnus amaret, in varias se species mutare solitus est. Illa autem refugiente ncubitum, nouissimè in anũ abiit, Nymphæ ie multis argumentis persuadere conabatur, vt i iungeretur: cui cùm diu reluctata fuisset, tã m ab exemplo Iphidis eã permouit, & in suã nuersus formam, cum virgine concubuit.


ENARRATIO.

HOrtorum Pomena fuit persedula cultrix,
Virginitatis amans arboribúsq; studens.
Hanc varia tectus specie Vertumnus adibat,
(Virginis egregius nam decor oris erat.)
Nunc messoris habet formam, nunc militis arma,
Nunc piscatoris lucida signa gerit.
In vultus etiam sese transformat aniles,
Blanditiísq; Deæ corda mouere cupit.
Illa diu vetitos multúmq; recusat amores,
Flectere nec dulces hanc potuere preces.
Attamen exemplo tandem deuicta vetusto,
Ictibus occubuit Nympha, Cupido, tuis.

ALLEGORIA.

Hic tibi depingit Sathanam Vertumnus atrocem,
Insidiis animam fallat vt ipse piam.
Mille sibi sumit species, ac mille figuras,
Vertit & in vultus ora subinde nouos.
Iam ceu messor adest, resecet quo stamina vitæ,
Omnibus incautum qui gradiuntur iter.
Iam venit vt miles gladio præcinctus & armis,
Opprimat vt valida pectora nostra manu.
Iam piscatoris faciem mentitur, vt hamo
Nos ad tartareas pertrahat vsq; domos.
Nouit & in plures se transformare figuras,
Sæpius in Genium lucis abire solet.
Ac verbis nimium nobis blanditur amœnis,
Ad Phlegetonta miser dum rapiatur homo.

Iphis ſuſpendio perit. IX.



IN inſula Cypro Anaxarete virgo fuit, ex progenie Teucri, quæ forma cæteras puellas longè ſuperabat: verum vt pulchritudo eius fuit excellentiſſima, ſic à virorũ conſuetudine prorſus abhorruit. Cùm igitur Iphis eam ardentiſſimo proſequeretur amore, nec aditus ad virginem ipſi pateret, in tantum dolorem incidit, vt noctu ante fores puellæ ſeipſum ſuſpenderit. Hæc autem iuuenis funus aſpiciens in ſaxum commutata eſt.

ENARRATIO.

IPhis Anaxareten Teucri de sanguine cretam
Ardet, & inflictum pectore vulnus alit.
Accedit supplex ad virginis ostia primùm,
Et sibi nutricem conciliare cupit.
Post & Anaxareta paruis sua verba tabellis
(Spem sub corde fouens) sæpe ferenda dedit.
Insuper ad limen lachrymis iacuisse profusis
Fertur, & occultè multa tulisse puer.
Illa tamen ridens, miserum contemnit amantem,
Inq; bonum iuuenem dicta superba iacit.
Iphis præ foribus sua verba nouißima promit,
Vincis Anaxarete, gaudia læta trahe:
Vincis, ego morior, claros age dira triumphos,
Funere post obitum lumina pasce meo.
Quem spernis viuum, supera dehinc luce carentem
Dilige forsan erit mors mea grata tibi.
Postibus & laquei religauit vincula, dicens:
En tibi serta, ferox, hæc placitura scio.
Inseruitq; caput, stricta quoque fauce pependit,
Ac posuit vitam virginis ante fores.
Funus Anaxarete sed vbi miserabile vidit,
In saxum duro corpore diriguit.

ALLEGORIA.

Fluctuat ambiguis euentibus ardor amantum,
Ac raro felix est male sana Venus.
Semper & illicitos mœror comitatur amores,
Exitumq; procax ferre libido solet.

Romulus immortalitate donatur. X.



POst Amulij ac Numitoris (qui à patre suo Palatino, seu Proca, regnum Albanorũ adniniſtrandum acceperant) interitum, Romulus rbis à ſe conditæ ſuſcepit imperium. Qui cum duerſus hoſtes fortiter dimicaſſet, & bellatoem ſe ſtrenuum geſſiſſet, victoriáque potitus, mnia tandem compoſuiſſet, Martis precibus iam ſenior effectus) in Deorum numerum fuit ranſlatus.

ENARRATIO.

Fortibus vt patriam defendit Romulus armis,
Ac populis leges, iuraq́; sacra dedit:
Horrida discußis mitescunt sæcula bellis,
Et viget Ausonia pacis in vrbe decor.
Iliades verò numerosis obsitus annis,
Exhaustusq́; graui sorte laboris erat.
Talibus ergò Iouem Mauors affatur, & inquit:
Magne parens nostras accipe quæso preces.
Res Romana suum crescit iam nacta vigorem,
Et noua præteritis prosperiora valent,
Tempus adest nostro Genitor promissa nepoti
Soluere, pollicitis fac satis oro tuis.
Et raptum terra cœlis impone Quirinum,
(Dicere te memini talia sæpe mihi.)
Annuit omnipotens precibus Mauortis, & ipsum
Alloquitur: voti sit rata summa tui.
Protinus obductis nigrescit nubibus aer,
Mixtaq́; cum tonitru fulgura sæua micant,
Iliadesq́; senex alto de colle palati
Ablatus, celsi fertur ad astra poli.

ALLEGORIA.

Qui se magnanimos factis gessere probatis,
Illorum celebris non aboletur honos:
Gloria virtuti debetur & inclyta merces,
Præstantesq́; vigent laude perenne viri.
Hinc olim veteres heroas ad astra leuarunt
Fortes, in superos & retulere Deos.

Hersilia in Oram Deam. XI.



HErsilia, coniux Romuli, cùm amissum maritum, post immortalitatem ei attributam, defleret, Iuno Iridem ad eam descendere iussit, vt ei nunciaret, si videndi Romuli desiderio torqueretur, in collem Quirinalem se conferret: Quod cùm Hersilia fecisset sidus ab æthere delapsum est, cuius lumine ipsa in altum sublata, Ora Dea nũcupari, & à Romanis coli cœpit.

ENARRATIO.

FLebat vt amissum coniux dilecta Quirinum,
Irin ad Hersiliam vadere Iuno iubet.
Vt consternatam verbis soletur amicis,
Exequitur virgo strennua iussa Deæ,
Mandat & Hersiliæ stillantes sistere fletus,
Tu nostros, inquit, nunc comitare gradus,
Huic paret matrona lubens, collemq́; sacratum
Iliadæ scandunt, & iuga summa petunt.
Protinus illustri delabitur æthere sidus,
Vnde refulgenti luce coruscat humus.
Hersiliæ corpus cumsidere tendit in auras,
Excipit hanc manibus Romulus ipse suis.
Fit Dea sic, nomenq́; recens adipiscitur Ora,
Proq́; sacro colitur numine iuncta viro.

ALLEGORIA.

Vana superstitio sibi numina plurima quondam
Effinxit, verum deseruitq́; Deum.
Nonnulli Solem, lunam, stellasq́; vagantes
Ignari magnos ceu coluere Deos.
Pro superis etiam, quæ nos elementa vocamus,
Elegit demens Ethnica turba sibi.
Et sic in sensum gens est prolapsa nefandum
Impia, deficiens à Genitore suo.
Debuit è rebus tamen agnouisse creatis
Stulta, Creatoris numina quanta forent.
Vana sed est omnis præclara scientia mundi,
Quæ salua Christi cognitione caret.

FINIS LIB. XIIII.

OVIDII METAM. LIBER XV.

Hippolytus ab equis diſtractus. I.



HIppolytus, propter odium Phędrę nouercę, quæ ipſum ad amorem ſui nefandum allicere conabatur patria pulſus erat. Cum autẽ Trœzena (quę eſt vrbs Peloponneſi) proficiſceretur, propterea quòd nouerca priuignum apud patrem accuſabat, quaſi ipſam de concubitu appellaſſet, & ob eam rem Hyppolyto Theſeus mortem eſſet imprecatus, illius equi à Phocis in mari perterriti, dominum ſuum in fruſtra dilaniarunt.

ENARRATIO.

Hippolytum frustra cùm Pasiphaëia quondã
Alliceret patrium commaculare torum,
Transfert in iuuenem conuerso crimine culpam
Post modo, flagitium dißimulatq; suum.
Aestuat, immeritumq; parens expellit ab aula,
Hostiles diro promit & ore preces.
Accelerat profugis natus Trœzena quadrigis,
Iamq; Corinthiaci littoris arua tenet.
Ecce fretum sæuit, mons & præruptus aquarum
Tollitur, horrendum flumina vasta tonant.
Terribilis rupto propellitur æquore Taurus,
Qui patulo fluctus euomit ore maris.
Corda pauent socijs, arrectiq; auribus astant
Quadrupedes, subitò qui tremuere metu.
Culmine præcipitant currus, resupinus habenas
Attrahit Hippolytus, sed miser inde cadit.
Lora tenet manibus, rabies augetur equorum,
Viscera qui domini dilaniata trahunt.

ALLEGORIA.

Pellicis exemplum tibi Pasiphaëia spurcæ
Exhibet, Hippolyto quæ necis autor erat.
Dum patri vetitos nati mentitur amores,
Pestibus heu quantis cor muliebre scatet.
Vxor Iosephum simili Potipharis olim
Crimine damnatum nequitiosa cupit:
Carcere propterea binos includitur annos,
Innocuus tandem compede liber abit.

Cyppus cornutus. II.



CIppo Romano Prætori, priusquam ab hoste victor rediens atque triumphans portam intraret, nouum prodigium incidit: Nãque in capite eius subitò veluti cornua emerserunt: responsumque est, eum regem fore si in vrbem reuerteretur. Quod ne accideret, perpetuum sibi elegit exilium. Romani verò decreuerunt, vt ei tantum agri, quãtum vno die agricola bobus posset exarare, donaretur, & capitis eius effigies æreæ portæ, qua excesserat, includeretur.

ENARRATIO.

IAm victor domito Cippus veniebat ab hoste,
Cum sua flumineo cornua fonte videt,
Quæ sibi temporibus fuerant enata supernè,
Ominis ast illum terret imago noui.
Consulit hic vatem sanctus respondet aruspex,
Rex eris in latio, maxime Cippe, solo.
Rex, ait, ô salue, sceptro potiere perenni,
Ad vocem vatis retulit ille pedem.
Et procul auertit vultus à mœnibus vrbis.
Omina dij; clamat pellite tanta precor:
Nam potius cernant quàm me Capitolia regem,
A patrio vitam limine pulsus agam.
Dixit, & in campum populos sanctumq; senatum
Conuocat atq; humeris excutit illud onus.
Huic igitur tantum ruris conceditur, vna
Nempe die quantum taurus arare solet.
Postibus effigiem proceres quoq; sculpere curant
Aeratis, miræ ceu monumenta rei.

ALLEGORIA.

Curua repræsentant quæ Cippus cornua gestat
Robur, & excelsi pectora magna ducis.
Tali si quis erit donatus munere, regnum
Hunc decet, & cingens pulchra corona caput.
Attamen à Cippo dominandi prona libido
Abfuit: is tenui sorte beatus erat.
Scandere nunc multi cupiunt sublime tribunal,
Aptos ad stiuam quos magis esse vides.

Aesculapius inter Deos relatus. III.



ROmani graui peſtilentia laborantes, poſt vbi maxima totam vrbem trepidatio inuaderet, per legatos oraculum Apollinis, de vitanda tam dira lue, conſuluerunt, à quo cum reſponſi hoc accepiſſent, vt Æſculapij præſtantiſſimi medici opera vterentur, nobiliſſimi legati in vrbem Epidaurum, iuxta Argos ſitam, ad accerſendum ipſum tranſmiſſi ſunt, qui noctu per ſomnum illis baculo, nexibus ſerpentis circundato, apparuit.

ENARRATIO.

Dira lues quondam Latiis inuaserat oris,
Multáq; perdiderat corpora pestis atrox.
Romani quærunt tristi medicamina morbo,
Quem tamen ars hominum tollere nulla potest.
Protinus accedunt Delphos, oracula Phœbi
Poscentes, adyto vox resonante venit.
Quid petis hic Romane loco medicamen ab isto?
I, pete præsidium nunc propiore loco.
Vos sanare nequit Phœbus, sed Apolline natus,
Ite bonis auibus, ite vocate Deum.
Claßibus instructis Epidauria littora tangunt
Legati, Graios & petiere patres.
Oraucre simul reddi sibi numen, acerbi
Quod luctus Romæ finiat omne malum.
Dißidet, & variat sententia tota senatus,
Suadet is auxilium, sed negat alter opem.
Nox ea diuersa dum parte geruntur, opaca
Aduolat, in requiem corpora quisq; locant.
Tunc Deus in somno baculum serpente reuinctum
Gestans, Romanum constitit ante torum.

ALLEGORIA.

Filius ob medicam rectè Phœbeius artem,
Diuinum cuncto tempore nomen habet:
Nanq; bonus laudem, iustumq; meretur honorem,
Et docta medicus qui simul arte valet:
Sed malus, ac rerum cui nulla scientia dignus
Est odio, nomen carnificisq; gerit.

Aesculapius

Aesculapius in serpentem. IIII.



AEsculapius, cùm à legatis Romanis vocaretur, repentè, stupentibus admiratione omnibus, in draconem mutatus, & primo in Téplum suum congregato Senatu, deinde per mediam Epidaurum serpens, nauem legatorum ad extremum conscendit, cum quibus vectus Romam venit, & pestiferum aërem fugans, salutíque Romanorum arte sua medica consulens, in pristinam tandem formam est conuersus, & anguinam pellem deposuit.

ENARRATIO.

Sol vbi Phœbea lustrabat lampade terras,
In templum proceres mox rediere sacrum.
Rursus & apparent missi de gente Latina,
Vt responsa ferant ciuibus inde suis.
Ecce Deus colubri proserpit imagine tectus,
Ac media tardum sistit in æde gradum.
Territa turba pauent, factum mirantur, & omnes
Vnanimi numen pectore & ore canunt.
Colla dehinc retro flectit draco sibila mittens,
Per vicosq; suum dirigit vrbis iter.
Ausonia tandem ponit rate corpus, & vnà
Cum sociis Latium limen adire parat.
Huic, vbi iam classis Lauinia littora tangit,
Obuia de populis maxima turba ruit.
Atq; Deum læto cuncti clamore salutant,
Qui tulit aduentu prospera fata suo:
Nam gratus toti venitq; salutifer vrbi,
Et medica finem luctibus arte dedit.

ALLEGORIA.

Ceu Deus hic latiis fictus pulsauit ab oris,
Grassantem rabidè per loca multa luem:
Sic verum Christus medicum se præstat, & atra
Pellit ab ægrota mente pericla necis.
Corporis hic animisq; potest auferre dolores,
Sanat & humanum si medicamen abest.
Hunc igitur quoties te fata miserrima torquent,
Posce salutarem non dubitanter opem.

Iulius Cæſar in ſtellam. V.



IVlius Cæſar factis ſuis præſtantibus celeber multiſque victoriis nobilitatus, cum à Caſſio & Bruto per inſidias interfectus eſſet, Venus animam eius, excepit, & ad aſtra retulit, vtque memoria eius perpetuò vigeret, ac poſteritati nota eſſent illius egregia facinora, in ſtellam, quem Cometam vocant, eundem tranſmutauit.

ENARRATIO.

IVlius vt fortem se Marte, togáq; probauit
Egregium, cœli dignus honore fuit.
Huius enim diram cùm vidit Curia cædem,
Æneadum genitrix luctibus astra replet.
Ac secum mœstos versat sub corde dolores,
Tristia sed retrò vertere fata nequit,
Ne tamen omnino careat solamine Diua,
Iuppiter huic aliqua parte leuauit onus,
Iußit & ad cœlos animam transferre beatam
Cæsaris, ac rutilum protinus esse iubar.
Hanc igitur Cytherea polo de corpore raptam
Inclusit, nec eam passa perire fuit.
Iulius ad celsum sic est euectus Olympum,
Stelláq; flammifero crine serena micat.

ALLEGORIA.

Cæsaris ad superas animam ceu sustulit arces,
Inter & hanc posuit sidera clara, Venus:
Sic animas Christus de carcere corporis arcto
Euehit ad cœli libera templa pias.
Nempe tabernaculum fragili de puluere cretum,
In cineres quando (morte vocante) redit,
Tunc mens pura Dei fruitur lætißima vultu,
Degit & Angelicos inter amœna choros.
Dum veniat summi certißima meta diei,
Quo Deus è tumulis ossa sepulta ciet:
Tunc animæ corpus iungetur, & vtráq; factis
Præmia portabunt quæ meruere suis.

FINIS.



INDEX FABV-LARVM.

Acis et Galatea 160

FINIS.



IOHANNIS POSTHII

GERMERSHEMII.

Er quinq; libris Naso dicit in nouas
Mutata formas corpora,
Eos, amice Iane, tu sic explicas
Laborioso carmine,
Labore multo plurimos vt subleues,
Cordi quibus sunt talia.
Quare cohors studiosa maximas aget
Tuo labori gratias.
Et Sprengij nomen dehinc in omnibus
Fiet Scholis notissimum.
Nec non & hisce conferentur versibus
Quæ lusimus Tetrastica.
Et quos amor, nouemque iunxerunt Deæ,
Hos iunget ætas postera.